In Nomine SS. Trinitatis!

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

HÆMORRHOIDIBUS CÆCIS & APERTIS,

Quam

Jussu, atque Decreto Splendidissimi Senatûs Medici in Illustri Salanâ,

PRÆSIDE

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Excellentissimo atq; Experientissimo

DN. GOTHOFREDO MOEBIO,

Medic. Doctore, & P. P. celebratissimo, Serenissimi Electoris Brandenburgici, & Administratoris Archi-Episcopat. Magdeburg. Archiatro Eminentissimo,

Dn. Patrono, Præceptore ac Promotore suo immortali cultu venerando;

PRO LICENTIA

Supremos in Arte Medica DOCTOREOS Honores, immunitates atque Privilegia publicè & legitimè consequendi,

Publico Eruditorum Examini exponit

THEODORUS ROLLIUS, Fraustadiensis,

Anno M. DC. LXII.

d. 24. Januar.

Horis matutinis, & pomeridianis,

In Auditorio Majori.

JENÆ

Typis JOHANNIS NISII.

VIRIS

Amplissimis, Consultissimis atque Prudentissimis

DNN.

CONSULI,

reliquoque Ordini Senatorio Spectatissimo,

ut &

Secretario hujus Collegii fidelissimo,

in inclyta

FRAUSTADIENSIUM

Republicâ,

Patriæ meæ Patribus Charissimis,

Fautoribus Honoratissimis;

Dissertationem hanc Inauguralem

in animi grati symbolum,

amorisque vigentis certitudinem,

sacram esse jubeo

THEODORUS ROLLIUS,

Medic. Cand.

Jesu Præfulgente!

SIngulari Naturæ ſagacitate factum eſſe conſtat, ut ea non ſolùm ſequiori Sexui locũ verecundo ſangvini evacuando conceſſerit, Uterum ſcilicet, qui ad univerſi corporis expurgationem inter alia ipſis datus eſt, ut ait *Aretæus, lib. 2. de diuturn. affect. cap. 11.*; ſed etiam Viris illud beneficium non denegaverit, ut Sangvis eorum vel abundans, vel vitioſus per locum abditum, Hæmorrhoides nimirùm evacuetur; cujus purgationis beneficio, aſſveti innumeras effugiunt ægritudines, præclarumque admodùm ad Sanitatem tuendam commodum conſeqvuntur, teſte *Hippocr. l. de hum.* & quotidianâ experientiâ: imò hoc ſaccharo oblinitur iſtud auxilium, alioqui nemini non amarum futurum. Appellatur autem antiquo nomine Evacuatio per HÆMORRHOIDES, quæ ſi non juſto ſtet talo, ſed vel nimis largè fiat, aut p. n. ſupprimatur, & exinde venæ hæmorrhoidales tumeant, doleant, aut inflammentur, infinitæ in corpore procreantur moleſtiæ. Hiſce hæmorrhoidibus etſi non ſolùm mares, ſed & mulieres ipſæ quandoque ſint obnoxiæ (prout infra patebit), potisſimùm tamen *Viris* iſtæ contingunt, cùm Sexus fœmininus per illud membrum, quod fœminã facit, commodiùs expurgetur. Qvùm itaque non ita pridem publicum in fœmineo quodam morbo periculum fecerimus, impræſentiarùm hanc affectus virilis γνῶσιν καὶ ἴασιν, incluſis quidem omnibus ejus differentiis, ſapientisſimum *Senem 3. aph. 30.* ſecuti, loco Diſcurſûs Inauguralis, juſſu & autoritate Ampliſſimi Ordinis Aſclepiadæi hoc in Athenæo, brevisſimis, quãtum temporis ratio permittit, publico examini ſubmittamus. Hoſce auſus DEUS ter optimus maximus clementisſimè ſecundet, Sanctique Spiritûs ſui radiis intellectûs noſtri tenebras

illustret, quò nil nisi vera, divino ejus Nomini gloriosa, nobisque & proximo utilia scribamus, loquamur, faciamus!

Caput Primum.

De

NOMINE HÆMORRHOIDUM.

Thes. I.

NOMINIS ipsius ex veteri consuetudine tractationem exorsuri, paucis *etymologiam*, *homonymiam* & *synonymiam* sumus declaraturi

Vox αἱμοῤῥοΐς origine græca deducitur παρὰ τὸ αἷμα, καὶ ῥέω, q. d. sangvinis fluxum, *Aët. tetrab. 4. serm. 2. cap. 5.* Plurali sæpè numero efferuntur αἱμοῤῥοΐδες sc. φλέβαι, q. Venæ sangvifluæ, Venarum nomine, more veterum, quandoque etiam Arterias subintelligendo, quod semel monuisse sufficiat.

II. Licèt autem omnes in genere Venæ, cùm cavitas earum conspicua sangvinem contineat, Hæmorrhoides, i. e. sangvifluæ dici possint; usus tamen obtinuit, ut inprimis venæ sedis, vel uteri, hoc nomine exprimantur. Unde non solùm nomen αἱμοῤῥοΐδος (à parte affectâ ad affectum ipsum translatum, sec. *Galen.*) *in genere*, & *propriè* quemvis sangvinis fluxum notat, ceu patet ex *Hippocr. 2. prorrhet.* & *Cels. lib. 2. cap. 8.* quibus add. *Trincavell. lib. 9. de curand. rat. particul. corp. hum. affect. c. 14.*; sed & *in specie* Sangvinem ex vasis ani, vel uteri exeuntem: de quo posteriori significatu consulendus *Galen. l. de theriac. ad Pison. c. 6. Celsus, l. 6. c. 18.* & *Paulus Ægineta, l. 3. c. 59.* ubi adnotari simul jubet *Hieron. Fabric. ab Aquapendente, de Operat. Chirurg. c. de hæmorrhoid.* Autores istos *ll. cc.* potius *Ora venarum* hæmorrhoidas appellare, quàm Venas ipsas, cùm ex oris potissimùm sangvis effundatur; illæ autem sic appellantur, quòd harum venarum oræ sangvinem fundentes potissimùm in ano & utero existant. *Specialissimè* capitur pro eo sangvinis fluxu perdurante vel impedito, qui fit ex vasis *Ani*; ubi iterùm ab eo discernendus, monente Avicenna, *lib. 3. fen. 17. cap. 2.* qui fit à virulentiâ, & sanie ulceris cujusdam in intestino recto, aut partibus circumjacentibus. *Impropriè* tandem eadem vox αἱμοῤ-

ῥοΐς

ῥοῖς vel *αἱμόρροος*, Serpentis quoddam genus notat, quod morsu suo sangvinem ex omnibus corporis icti partibus stillare facit, de quo vide *Galen. l. c. Dioscor. l. 6. c. 50. Plinium l. 20. c. 21. Solinum, polyhist. cap. 40. Lucan. 9. de bello civili, Paræum, chirurg. l. 2. c. 17. Sennert. l. 6. medic. pract.* & alios. Verùm diversis istis notationibus relictis, eam solùm hîc accipimus, quâ Hæmorrhoides sangvinis fluxum ex apertione venarum arteriarumve ani, tumoremque in iisdem exortum notant: adeoque de duabus earum quasi speciebus, dum vulgò *in Cæcas, & Apertas* dividuntur, tractationem instituemus.

III. Variâ *Synonymorum* catervâ luxuriare hunc affectum haut invenimus. *Græci*, ut anteà dictum, eum *αἱμοῤῥοΐδων* voce indigitârunt. *Latini* hanc vocem civitate donârunt, commodiore destituti. *Hæmorrhoidalis fluor, tumor* aut *dolor* quoque audit, testibus *Celso, & Plinio. Mariscas* multi autorum cum Hæmorrhoidibus confundere solent, quas *Theod. Gaza*, aliique hæmorrhoidas interpretantur; sed eos reprehendit *Massarias, prax. lib. 3. cap. 24.* & *Forest. l. 23. observ.* Plura de his *infra* inter *Signa distinctiva* occurrent.

IV. APERTÆ aliàs *Apparentes* vocitantur quibusdam tum quæ visu conspicuæ sunt, tum quæ sangvinem certis periodis fundunt. CÆCÆ verò sive *occæcatæ*, græc. *τυφλαὶ*, tum quæ intus latent, tùm quæ extra patent, sed occlusæ sunt: *Platerus* rectiùs *clausas* sive *dolentes* dici autumat; imò impropriè cæcas habere hæmorrhoidas eum dici putat *Fabric. ab Aquapend. l. c.* qui fluxum earum nunquam passus est.

V. *Germani* nostri aurato honoris titulo Venam auream nuncupant, di güldne Ader / den güldnen Aderfluß / ab efficaciâ forsan, aureo & insigni commodo, quod præstat tempestivus & moderatus earum fluxus, prout suspicantur *Solenand. Horstius*, & alii; Sanitatem enim totius Corporis inde resultare necessum putant nonnulli in assvetis, vid. *Hippocr. l. de hum.* Alii potius *κατ᾽ ἀντίφρασιν* aureas has venas dictas volunt, ob molestam & ingentem fœditatem.

Dicitur quibusdã etiam di Rückader / à bifurcatione forsan

 illâ

illâ insigni (ut loquitur *Aquapend. c. l.*) in ultimis lumborum vertebris factâ, ex Venæ cavæ & arteriæ magnæ inde ad anum productione. Vid. *Minderer. in medic. militari cap. 7. & D. Joh. Agricolam, Chirurg. parv. tract. 5.* aliosque.

Symptomata harundem, Apertas nempè, sive immoderatam hæmorrhoidum profusionem appellant den Blutfluß unter sich/der güldnen Adern Blutfluß. Suppressas verò, sive cæcas, Verstopffung/oder Anlauffen der Gold-Ader. Vid. *Magir. Patholog. lib. 2. sect. 4. cap. 16. p. m. 308.*

Cap. II.

De

DEFINITIONE, EJUSQVE RATIONE FORMALI.

I.

PErspectâ sic Onomatologiâ, ad *Pragmatologiam* sive rem ipsam nos accingamus: ubi, posthabitâ generali *Definitione* Hæmorrhoidum, ex notâ illâ differentiâ petitâ, quâ in salubres & insalubres dispescuntur; ut & eâ, quâ utrumque genus unâ definitione aliqui complectuntur: famosorum solùm istorum Symptomatum distinctam descriptionem proponemus, ne Definitione ignoratâ, res ipsa, de quâ sermo est, ignoretur; ut opportunè monet aureum eloquentiæ flumen *Cicero, lib. 1. de Offic.*

II. Sigillatim ergò utrasque definiendo Hæmorrhoides, APERTÆ sunt, *Profluvium Sangvinis immodicum, ex Vasis ani, cum virium prostratione conjunctum, ab irritatione insigni facultatis expultricis, & præternaturali vasorum istorum apertione profectum.*

III. COECARUM ὁρισμὸς iste sit: *Sunt tumor vasorum ani, exortus ab affluxu crassi confertimq; affluentis sangvinis, cum ingenti exquisitoq; dolore conjunctus.*

IV. Datis Definitionibus, ad ἀνάλυσιν illarum succinctam progrediendum. Cùm verò omnes Accidentium definitiones perfectæ, juxta Philosophorum placita, triplici causarum genere constent, *Formâ sive Genere proximo, Materiâ sive subje-*

ctio, *& Causâ efficiente proximâ*; ut habet illustris *Zabarella*, *lib. 4. de methodis, cap. 14. col. 306. f. 307. a.* nos etiam in easdem partes secabimus; sic ut in APERTIS stet loco GENERIS, *Profluvium Sangvinis immodicum*, vid. *Hippocr. lib. de aliment.* quod est σύμπτωμα excretorum (ut habet *Galen. de caus. sympt. c. 6.*) præter naturam, quantitate & tempore peccantium. *Quantitate* peccant, dum nimis longè; *tempore*, ubi diutius quàm opus est, fluunt. *Vires prosternuntur* ob vivifici nectaris exitum præcipitem. Ubi primâ statim fronte tangenda quæstio passim agitata, *sintne Hæmorrhoides excretio naturalis, an præternaturalis?* Plurimi quidem autorum eas in numerum Excretorum toto genere præter naturam locant, eò quòd non omnium hominum sit, sangvinem per illa loca fundere, neque sangvis unquam, nisi in fœminis, secundùm naturam excernatur: vid. *Savanoröl. tract. 6. pract. major. cap. 17. Sennert. l. 3. med. pract. part. 2. sect. 2. c. 13.* Alii contra, adhibitâ distinctione Hæmorrhoidum salubrium ab insalubribus, & urgentes cum *Galeno 6. de diff. sympt.* differentiam inter evacuationes symptomaticas, & criticas quasi, sive Opera naturæ rectè beneque operantis, putant, factâ denominatione à potiori, causâ efficiente potissimâ, modo item, & fine, optimè per, & secundùm naturam dici posse: imò salubres Hæmorrhoides, nec ratione ipsius excretionis, nec materiæ excretæ esse præter naturam, adeoque in dispositis subjectis omninò excretionem hanc esse naturalem. Videatur de priori distinctione *Henr. Petræus, Nosolog. Harmon. Diss. 32. th. 6. 7.* de posteriori conf. etiam *Nobiliss. atq; Excellentiss. Dn. D. Præses, Præceptor atq; Promotor meus æterno cultu prosequendus, Disp. IX. Epit. instit. lib. 2. part. 3. c. 1. pag. 153.* Nos, si ad datam definitionem respicimus, nonnisi pro affectu præternaturali hæmorrhoidum fluxionem immodicam agnoscere possumus (moderatâ illâ & tempestivâ Naturæ benè operanti relictâ); adeoque *Symptoma* hoc complicatum, partim ad primam, partim ad tertiam symptomatum classem referendum erit, perinde ut mensium excessus, & defectus; sic ut actio læsa (in excretione & retentione) symptoma sit primarium, excre-

tum verò ſecundarium. Conf. *Magnif. Dn. D. Rolfincii, Præceptoris, Patroni, Hoſpitis atque Promotoris mei Parentis adinſtar devenerandi, Tr. de Affect. Capitis, diſp. ult. de Catarrh. pag. 5. Ejusdem Epitom. cognoſc. & cur. affect. corp. hum. particular. lib. 3. cap. 23. p. 343.* it. *CL. Sennert. inſtit. Lib. II. part. 3. ſect. 1. cap. 11. fol. m. 139. b.*

X. CÆCARUM ratio formalis, quæ *Generis* locum obtinet, eſt *Tumor* vaſorum ani, ſive intumeſcentia à ſangvine craſſo, & melancholico, *Morbus* ſcilicet compoſitus ex intemperie cum materiâ, & auctâ magnitudine. *Dolor exquiſitus* his jungitur, ceu ſymptoma cujus rato *infra* reddetur.

Cap. III.

De SUBJECTO.

I.

SUBJECTUM ſive Pars utrobique affecta, ſunt *Vaſa ani*, quæ potiùs hoc nomine appellanda eſſe, quàm Venas hæmorrhoidales, *Fabric. ab Aquapend. Operat. Chirurg. fol. m. 107. cap. de hæmorrh.* jam olim cenſuit, atque rationes inibi ſubjunxit. Cùm verò Vaſa iſta non unius ſint generis, quæ ſangvinem dictum fundunt, aut ſecum retinent, operæ pretium videtur, *Hæmorrhoidum conſtitutionem naturalem* ante omnia ex fundamentis Anatomicis ſummatim referre, ut exortus illarum atque progreſſus, & hinc conſtitutio præter naturalis meliùs inclareſcat, ne Andabatarum more mediâ in luce anatomicâ cæcutiamus. Hoc autem inſtitutum ex mente tùm veterum, tùm recentiorem breviter proſequamur.

II. Notum cuivis artis tyroni vulgò eſt, aut eſſe debet, Vaſorũ ſangvinem in corpore noſtro vehentium omne genus duplex conſtitui, *Venas* ſcilicet & *Arterias*. Venarum trunci duo ſunt, portæ, & cavæ. Illius *Portæ* nimirum venæ (tenore *veteris doctrinæ*) nutritioni partium infimi ventris maximè dicatæ truncus, in varios diſtribuitur ramos, *ſuſpenſorium gaſtroëpiploicum, inteſtinalem, cyſticum, gaſtricum, ſplenicum,* & deniquè *Meſentericum.* Hic ultimus, dexter aliàs & major (reſpectu

ſple-

ſplenici) dictus in quatuor rursùm dividitur ſurculos, quorum primus nomen generis retinens, *meſentericus* dicitur, alter *Hæmorrhoidalis*, tertius *cæcalis*, quartus *colicus*; denominatione à partibus quas alluit deſumtâ. Ex his igitur prodit *Hæmorrhoidalis* modò dicta *Vena interna* (quæ tamen & ipſa natalem quandoque locum immutat, exoriens propè initium rami ſplenici, (notante ſemel *Caſſerio*, & ter *Veslingio*, contra *Robertum Fludd. à Fluctibus*), progrediturque retrò magis versùs coccygem inſerta, ſecundùm inteſtini recti longitudinem, & tandem in podicis membranoſam ſubſtantiam propaginibus ſuis inſeritur; quo loco etiam hæmorrhoidali externæ, à Cavæ hypogaſtrico ramo exortæ jungitur. Illi officium à priſcis temporibus adſignatum, ut oram extremam recti inteſtini craſſo ſibiq; convenienti ſangvine nutriret, &, ex abuſu naturæ, per eandem, ceu cacochymiæ vacuatricem, melancholicum præprimis ſangvinem expurgaret, ſic naturalitèr fluens multas ægritudines ſolveret atque præcaveret, ſuppreſſa, aut nimium fluens plurimas induceret. unde *Veſalius l. 3. cap. 5. de fabric. corp. hum.* teſtatur, ſe in quodam hoc fluxu laborante, venam hanc digito craſſiorem, & ſangvine admodùm turgentem inveniſſe. Atque has ſolas à Portâ Venas antiquis notas fuiſſe ex hæmorrhoidalibus, cenſent doctisſimi Viri, *Hieron. Fabr. ab Aquapend. l. c.* & *Joh. Riolanus, Anthropograph. lib. II. cap. 17. fol. 104.* quos nihilominùs redarguit *D. Sennertus, L. III. Medic. pract. part. 5. ſect. 1. de affect. hypochondr. cap. 6. p. m. 530.*

III. Unde Recentiores Medici (aſſertore *Riolano*) ex Arabum doctrinâ, non contenti illis à portâ prodeuntibus internis, cacochymiæ vacuatricibus, *Externas* etiam addidere à Venâ Cavâ prodeuntes Hæmorrhoides, quas Plethoræ depletrices nuncupârunt. Nimirum *Venæ Cavæ* (quæ totum corpus pervadit) truncus deſcendens, paritèr in varios ſeſe expandit ramos, ut hinc abeat *Vena adipoſa, emulgentes, lumbares, ſpermaticæ, iliacæ:* hæc ultima circa quintam lumborum vertebram bifurcata, à quolibet ramo quatuor alios producit: *Hypogaſtricam, muſculam, epigaſtricam, & pudendam.* Quarum *Hypogaſtrica*

strica amplissima non solùm vesicam urinariam, fœminarum uterum, & virorum penem accedit, sed &, missâ propagine in oram extremam recti intestini, producit demum *Hæmorrhoidalem externam* dictam; quam pluribus diligentissimè illustrat *Aquapend. all. loc.* ejusdemque ante eum meminit *Piccolhominius prælect. anatom. 13.* Hanc non solùm nutritioni musculi sphincteris inservire, sed & per eam humores in toto corpore abundantes evacuari statuerunt. Et hæc hactenùs ex mente Veterum, superiorisque Seculi.

IV. *Hodierno* autem novo Concilii Anatomici decreto, quo Venæ non ampliùs sangvinem nutritioni partium inservientem, aut evacuandum, advehere; sed eundem ad fontem, Cor scilicet, solummodò revehere, ipsâ αὐτοψίᾳ compertum, ARTERIIS omne illud officium (adeoque & hac in excretione hæmorrhoidali) defertur. Unde & de *Arteriarum hæmorrhoidalium* potissimùm exortu atque progressu nunc necessum est simus solliciti, si naturam rei exactiùs nosse desideremus.

Etenim truncus *Aortæ* magnæ descendens, ac arterias infimo ventri pro nutrione & sangvine deferendo largiens, visu & calamo dispescitur in arterias duas majores, quæ comitantur propagines Venæportæ, & venæ cavæ paulò ante descriptas. *Prior* de se protendit *Arteriam Splenicam, Cælicam* & *Mesentericam*, quarum unaquæque variis adhuc luxuriat arteriolis. Ultima tamen *Mesenterica inferior* à situ dicta, in parte anteriore trunci aortæ, priusquam in iliacos ramos dividatur, juxta os sacrum exorta, variis propaginibus, plexu nervorum Fallopiano utrinque cinctis, præter mesenterii humiliorem, & coli sinistram partem, irrigat etiam intestinum rectum, in cujus extremitate constituit demum *Arterias Hæmorrhoidales internas* ita dictas: quarum usus privatus, sive potiùs abusus (ex Harvejanis principiis circulatoriis), ut natura, iis apertis sangvinem feculentum deponat, sicque melancholiam præcaveat, atram bilem solvat, lienem induratum sanet, imò pectoris etiam morbos fluxu suo oportuno in actu curationis & præservationis sublevet: Si verò non deponat, per *Venam* ejus sociam

am (quæ frequentibus anastomosibus cum illâ unitur) mesenterium perreptantem, in portam iterùm exoneret, sicque ad fontem remittat.

V. *Alter Ramus* major trunci *Arteriæ magnæ* infimo ventri dicatæ, (qui scilicet Venam *Cavam*, uti prior portam, comitatur) præter minores arteriolas spinæ medullæ transmissas, majores adhuc quatuor producit arterias, nempè *Emulgentes sive renales, spermaticas, lumbares, & iliacas.* Ab hisce *Iliacis*, earumque ramis partim internis, partim externis, aliæ oriuntur arteriæ, nimirum *Hypogastrica* iterum, *muscula, epigastrica, & pudenda* dicta. *Hypogastrica* præter quòd *Vesicæ* urinariæ cervicem, Uteri quoque fundum & cervicem, atq; penem virilem irrigat, tendit etiam ramulo quodam ad oram intestini recti, & *Hæmorrhoidalem* ibidem constituit *externam*, usibus modò enumeratis dicatam. Plura de his qui nosse desiderat, adeat Anatomicorum hodiernorum primicerios, *illustre Daniæ sidus, Thomam Bartholinum, Anatom. refor. lib. 1. de ven. c. 4. p. m. 426. ut & insigne Angliæ decus, Nathanaël. Highmorum, anacephalæos. de circulat. sangv. fol. 255.* omniumque clarissimè hac de re, *immortale Salanæ hujus nostræ Lumen, D D. Guerner. Rolfincium, Dissert. Anatomic. Lib. V. cap.* 16. 20. 27. 28. *pag.* 882. *seq. & Lib. VI. cap.* 25. 27. 28. *p.* 1156. *seqq* disserentem.

VI. Atque ista, naturam Hæmorrhoidum, seu vasorum hæmorrhoidalium satis, uti existimo, denudabunt: ex quibus nunc nullo negotio *præternaturalem* horum vasorum constitutionem, quantum ad Subjectum eruendum sufficiet, colligimus. *Arteriæ* scilicet à Mesentericâ inferiori, & iliacâ hypogastricâ ad anum protensæ, tàm in *apertis* nimisque fluentibus, quàm in cæcis atque tumentibus accusandæ. Inficias tamen ire nolumus, quin & per *Venas* hasce proximè adjacentes aliquando in magnis naturæ luctibus, mutato aut saltem perturbato sangvinis cursu, superflui Humores in hæmorrhoidali fluxu evacuentur. Quo de fusiùs conf. *Highmor. Disquisit. anatom. Lib. I. part. 2. cap. 6. fol. 35.* perinde ut in venis uterinis quandoque contingit: conf. *Nob. Dn. D. Rolf. l. c. lib. 6. cap. 29. fol. 1181. & Epitom. c. l. p. 326.*

VII. Cui aliâ ratione hunc Fluxum in *Apertis* ad aliarum fluxionum in corpore naturam examinare placet, respiciendo hac in intemperie materiali humorosâ, ad motûs istius τῆς φορᾶς (monente *Philosopho 7. Phys. cap. 1.*) terminum à quo, per quem, & ad quem, ut *Pars mandans* (medicè loquendo) hîc sit universum Corpus, aut maximè lien; *transmittentes*, dicta arteriarum vasa; *recipiens* denique ipse anus, ejusque partes duæ (ex διχοτομία *Aquapend.*) intestinum sc. rectum, & musculi ipsius podicis, licèt tres partes aliàs constituat *Galenus*, cum eo haud pugnam inituri sumus. Aut, qui *Subjectum* affectûs hujus *adæquatum* constituat Anum; *inadæquatum* sive principale, Vasa ipsius, venas & arterias p. n. clausas vel apertas, nec is forsan multum aberrabit.

CAP. IV.

De

CAUSIS HÆMORRHOIDUM.

I.

APERTARUM Hæmorrhoidum CAUSA PROXIMA & IMMEDIATA est eadem, quæ in aliis Sangvinis profluviis, *irritatio* nimirùm *facultatis expultricis*, quæ famulatur interdum *Naturæ, artificiosæ & providæ animalium gubernatrici, ut etiam ora venarum, quæ in sede sunt, aperiat*, ut habet *Galenus de V.S. advers. Erasistrataeos, cap. 4. & 4. de atrâ bile.* Nimirum hanc irritationem sequitur *Vasorum* modò dictorum *apertio*, vel *per ἀναστόμωσιν*, quæ frequentissima, à fervore, tenuitate, vel copiâ sangvinis, vel interdum per *διαίρεσιν* ab internis externisque erodentibus, aut rumpentibus; rariùs, aut nunquam *per διαπήδησιν* per sudationem, uti retur *Solenand. in consil. fol. 374.*

II. MEDIATÆ PROPINQVIORES secundùm *Galenicos* est *Sangvis*, sive *Humores* sangvini permixti, quantitate vel qualitate peccantes, retentricem verò debilitantes. SANGVINIS

plenitudinem accuſare videtur *Galenus 6. epidem. comm. 5. text. 25. Horſtius* crudum , & ex debilitate caloris indigeſtum, *Problem. medic. decad. 6. quæſt. 8. fol. m. 71. b.* BILIS huc decumbens, ſangvinem in his venis calefacit, oraculum eſt *Coi, lib. de hæmorrh. ab init.* eam autem intelligendam eſſe apud *Hippocratem,* quæ à poro felleo in inteſtina eructatur, monet *Hier. Fabric. ab Aquapend. l. c.* Exemplum habet *Fonſeca, Tom. I. conſil. 27. f. 178.* & alii.

III. PITUITOSUS Humor, qui per hæc vaſa exitum quærat, à multis in dubium vocatur. Dubitandi occaſionem præbuit *Galenus, 6. aph. 11. & 12. in comm.* quòd natura per has venas *ſangvinem craſſum melancholicum* evacuare conſveverit. Contrarium tamen multi evincere conantur; præter quòd *Hippocrates l. de hæmorrh.* poſt bilem etiam *Pituitam* expreſſis nominet, (αἱμοῤῥοΐδων τὸ μὲν νόσημα ὧδε γίνεται, ἢν χολὴ ἢ φλέγμα ἐς τὰς φλέβας τὰς ἐν τῷ ἀρχῷ καταστηρίξῃ, θερμαίνει τὸ αἷμα τὸ ἐν τοῖσι φλεβίοισι. *Ora venarum,* ex verſione *Foëſii, hoc modo ſangvinem fundere ſolent: Bilis aut pituita ad venas quæ in ano ſunt decumbens, ſangvinem qui in his eſt calefacit)* aſſerentis , quòd non ſolùm Hæmorrhoidum beneficio plurimi morbi pituitoſi fuerint ſanati, teſtibus *Adr. Spigelio, Fabric. Hildano , Amato Luſit. Herc. Saxonia, Vict. Trincavello, J. B. Montano, Joh. Cratone,* me quoque ipſo nuper idem obſervante; ſed etiam multi, non ſangvinem, ſed albidum humorem, nequaquam purulentum , hiſce ex venis exprimi ſuis oculis uſurpaverint, uti (contr. *Petr. Paulum Simonetam)* affirmant ex recentioribus , *Höchſteterus, Platerus, Fernelius, Sennertus, Plempius, Joh. Rhodius,* idque eâdem ratione fieri ſcribit *Fel. Platerus,* ut in albis uteri fluoribus, dum materia albicans per venas menſtruas æquè ac hæmorrhoidales exeat: imò *ut mucus cum ſangvine ad renes, ita etiam ad venas hæmorrhoidales venit, ut excludatur,* deciſum eſt, *Magnifici Dn. D. Vict. Schneideri, P. P. Witteberg. celeberrimi, Lib. III. de Catarrh. cap. 7. fol. m. 270.*

IV. Pro MELANCHOLICO ac adusto sangvine maximè pugnat *Galenus l. c.* & multi cum eo, nec sinè causâ, cùm ille frequentissimè in culpâ sit. *Hippocrates 6. epidem. 24.* ait: *Hæmorrhoidibus velut quid atræ bili simile effluit.* Sed eum solùm admitti non posse modò vidimus, & fusiùs contendit *B. Sennertus l. c. quæst. 1. cap. de hæmorrh.* Historiæ talium melancholicorum totâ die occurrunt: vid. *Forestus, Zacutus, Claudinus.* Quin SERI salsus humor suam hîc strenuè conferat symbolam nulli ambigimus. Suffragatur *Ambros. Paræus, Chirurg. lib. XII. cap. ult.* inquiens: *quæ fluunt hæmorrhoides, sangvinem ferè fundunt mixtum cum Sero citrino, quod sangvini impetum ad procursum dedit, & acrimoniâ suâ venarum oscula diduxit.* Imò quilibet humor acris & mordax, ad vasa intestini recti decumbens, idipsum præstare, atque vasorum ἀναςόμωσιν vel διάβρωσιν, causas hujus mali, suscitare potis est.

V. CHIMICI sine dubio hic ⊖lia sua efferata accusant, quæ in corpore humano prædominantia interdum præcipitatione opus habent. ♀reus feculentus humor vasa nullo negotio aperit: imo ⊖ actu in corpore nostro delitescit, quicquid etiam dicat *Bertinus, lib. 3. med. cap. 11.* vid. *Senn. instit. med. l. 2. part. 2. cap. 8. de humorib. ex Chimicor. sentent.* *Paracelsus* hîc quidem nihil singulare habet in operibus suis, nisi quòd in *schol. lib. 6. §. de leprâ,* asserat, *Sangvinem hæmorrhoidum facere morbum lepræ similem.* *Joh. Baptist. van Helmont, lib. Pylorus Rector inscripto, t. 18.* ex dissensu fellis & pylori, diarrhæas, tormina, dysenterias atque *hæmorrhoides* oriri autumat.

VI. Inter Causas REMOTAS primum locum obtinent NATURALES, quæ quocunque modo ad fluxum ejuscemodi immodicum disponunt, interque illas sunt:

1. *Temperamentum* totius, vel cordis maximè & jecoris calidum & humidum, sangvinem multiplicans, vel calidum & siccum, eum adurens; unde *Sennertus* eos magis censet obnoxios, qui in juventute fuêre sangvinei, quibusque in adultâ ætate sangvis aduritur. Constitutio item naturalis vasorum istorum rarior atque laxior eò propendet.

2. *Se-*

2. *Sexus* inprimis maſculinus hunc in fluxum proclivior, teſte *Marcello Donato, lib. 4. medic. hiſtor. mirab. cap. 19.* unde *D. Senex* eum inter Viriles annumerat morbos, *3. aph. 30.* Neque tamen *Fœminæ* ejus omninò expertes, ſed quibusdam, etſi rariùs, contingit ordinariè paulò poſt fluxum menſtruum, vid. *Sennert.* aliis, menſibus ſuppreſſis, vid. *Schenk.* aliis, nullo obſervato ordine: conſentit *Ariſtoteles 3. hiſtor. animal. c. 19. & Galen. 5. aph. 33.* quin & abolitis menſibus Viduis eveniunt: in duabus gravidis nobilibus hunc fluxum obſervavit *Hollerius:* in puerperâ *Foreſtus. Fernelius conſil. 39.* producit Leonoram Galliæ Reginam; *Solenand. ſ. 4. conſ. 20.* Annam Comitiſſam in Waldek, alii alias. Mulier illa Syrophæniſſa αἱμοῤῥοȣσα, cujus apud *Matth. 9. v. 20.* mentio fit, an menſium profluvio, an ſedis, an uteri hæmorrhoidibus laboraverit, noſtri parum intereſt decidere, quanquam non deſint ex Medicis , qui eâ de re diſceptent; vid. *Horſt. obſerv. lib. 4. obſ. 53. f. m. 244. 246.* Rationem autem, cur fœminis æquè contingere poſſit, reddit *Gordonius in lilio medic. partic 5. cap. 20. rubric 9. not. 4.*

3. *Ætas* commodior adulta, virilis, conſiſtens, inter juventutem & ſenectutem media, juxta *Galen. comm. in 3. aph. 30. & 3. de humor. comm. 26.* eò quòd huic ætati melancholia (fortè p. n. lis illa, inprimis hypochondriaca) ſit quaſi propria. *Horſtius* Senes accuſat, procul dubio adhibitâ quadam latitudine, cùm annorum numerus hîc tam exactè determinari nequeat, magisque corporis conſtitutio ſpectanda ſit; familiarior tamen fluxus adultis, quàm pueris ac adoleſcentibus. Hiſtoriam juvenis illuſtriſſimi 30. annorum habet *Fonſeca Tom. I.*

4. *Regionibus* Meridionalibus magis feruntur frequentes, quàm Septentrionalibus, cujus cauſam reddit *Aquapendens*, & alii. Frequentiores eſſe dicuntur Hiſpanis & Italis, Venetiis maximè & Patavii degentibus, autore *Roder. à Fonſecâ, T. I. conſ. 27.* qui cauſam in frequentem nimis aloës uſum rejicit. In Germaniâ noſtrâ hoc malum quoque non infrequens.

5. *Hæreditarium* idem nonnunquam eſſe, ſic ut totis familiis commune ſit, Hiſtoriæ teſtantur: quale exemplum de Co-

mite quodam perilluſtri recita *Solenander*, vid. & *Schenck. in Obſervationib. admirand.* *Judæos* aliqui accuſant, ac ſi præ cæteris gentibus, crebriùs eo fluxu infeſtentur; cujus rei alii alias reddunt cauſas: *Gordonius l. a. lil. medic.* tres potiſſimùm recenſet, Otioſam eorum vitam, timorem perpetuum, & pœnam divinam, quòd Salvatori noſtro *Matth. 27. v. 25.* crucifigendo acclamârint, *Sangvis ejus eſto ſupra nos & filios noſtros;* idque prædictum eſſe à Regio Pſalte, *Pſalm. 77. v. 66. percuſſit eos in poſterioribus dorſi, in opprobrium ſempiternum dedit illis:* vid. *Petræus c. l. th. 19.* Anne pœna illa, quâ percuſſi ſunt *Philiſtæi* à Deo, *1. Reg. 5. v. 16.* cùm arcam fœderis abreptam ſecum retinerent? Ita certè ſentiunt Judæi quidam, uti recenſet *Alphonſus Toſtatus Abulenſ. oper. aureo in I. Reg. c. 9. qu. 15. fol. 41, a.* nec Vulgata verſio abnuere videtur: verùm pluribus additis opinionibus hanc ipſam rejicit *Petrus Martyr, comment. in 1. Samuel. cap. 5. f. 36.* qui videri poſſunt ab iis, quorum intereſt.

6. Ἰδιοσυγκρασία denique non paucos ad hoc malum diſponit, quæ includit peculiare robur viſcerum & vaſorum majorum, cum debilitate extremarum harum venularum. Vid. *Solenandr. ſect. 4. conſ. 20.* hinc alius alio magis aut minus ad talem affectum inclinat.

VII. Res NON-NATURALES nobis ſic dictæ, ad procatarcticas & Externas Cauſas à multis referuntur, ſuntq; 1. AER hoc loco, vel æſtate torridus, aut hiemis frigore torpidus; uterque enim humores movere & naturam ad expellendum ſuo modo irritare poteſt. Malignitatem aliquando accedere, autor eſt *Sennertus*, unde hic morbus *Romæ* aliquando fuit epidemius.

Influxus Aſtralis hîc ſuis non caret viribus. Maximoperè autem reſpiciendum eſt in ægroti themate natalitio ad Saturnum, Martem, Venerem, & ſigna Scorpii, Virginisque. Saturnus humoris melancholici, & morborum exinde dependentium eſt dominator, teſte *Origano in Ephemerid. tom. I. p. 5. de effect. p. 651.* Mars inter cætera in partibus tectioribus fiſtulas, ſanguinisque effluxiones cauſari ſolet, autore *Campanellâ l. 4.*

Aſtro-

Astrolog. artic. 11. p. 144. Venerem sedi & partibus annexis quoque præesse unanimis Astrologorum est sententia. Hinc plerumq; Hæmorrhoidibus obnoxii sunt, qui Saturnum aut Martem in Scorpione aut Virgine habent. Plurimos fluxui hæmorrhoidum obnoxios observavit *Magnif. Dn. Præses*, quibus Venus à Marte vel Saturno, vel utroque læsa fuit. Multum negotii hic affectus facessit, si ♄ in domo ♀ris constitutus, lædit ♀em, & ♂ ex Virgine vel Scorpione conspiret, in domo sextâ constitutus. ♂ prædominans nimis fluentes hæmorrhoides, ♄ cœcas magis excitare solet. ☿ & ☽ conspirantes malum augere consueverunt.

2. VICTUS quantitate vel qualitate insigni peccans magnæ hic efficaciæ, si solito fuerit plenior, accesserint crapulæ, vinique generosioris ingurgitationes crebriores, *Cibi* crassi, duri, adusti, acres, calidiores, salsa omnia, acetosa, acetoque condita; quò pertinet ex mente *Hippocr. l. de rat. vict. in acut.* & *Gal. de L. A. c. 7.* Panis ex vitioso frumento, nec ritè pistus, carnes bubulæ, *Gal. 3. de alim. facult.* rancidæ & putridæ, salitaque cuncta & fumo indurata: *Pisces* marini, sale inprimis conditi; caseus vetustior; *Olera* & legumina in locis uliginosis enata, brassica, cæpæ, allia, fabæ, lentes.

Ex *Potulentis*, *Vina* crassa, pendula, ♀rea, feculenta, impura aut immatura; *Cerevisiæ* recentes, picatæ, lupulo minùs conditæ; *Aquæ* palustres, salsæ, ⊖rosæ, impuræ per se, vel cum cibis potuve assumtæ.

Ex *Medicamentis* fluxum hunc promovent Purgantia δραστικώτερα, colocynthis, scammonium, inprimis *Aloë* crebriùs assumta, teste *Sempione, cap. 102. de medic. simpl. & Mesue, de simpl. facult. cap. 1.* quicquid contra dicat *Leonh. Fuchsius 1. paradoxor. cap. 1.* sic ut experientiæ scuticô dignos asserat *Jul. Cæs. Scaliger exerc. 160. sect. 3.* qui hoc negare ausint. Fertur Vir in omni Philosophiæ parte exercitatissimus *Sethus Calvisius* ex aloës frequentiori usu in sputum sangvinis incidisse lethiferum. conf. *th. præced. 6. n. 4.* Diuretica & menses moventia, intempestivè & largiore manu data, eundem dare effectum queunt.

3. SOMNUS immoderatus, maximè diurnus, hunc promovere valet affectum, qui ſcilicet teſte *Avicenna 3 prim. doctr. 2. c. 9. calorem corrumpit, ſplenem gravat, concoctionem interrumpit:* & ob easdem ferè cauſas *Vigiliæ* diuturnæ.

4, MOTUS Corporis violentior, equitationes vehementiores, frictiones longæ & aſperæ, conatus nimius in aluo deponendâ, partus difficilis, quæ ab obſtetricibus germ. appellantur Truckblattern/ notante *Exc. D. Sebizio, Spec. medic. pract. part. IV. sect. 2. c. 22. p. m. 1189. Otium* & deſidia diverſo reſpectu, idem dant effectum, quia ſic ſuperfluitates cumulantur melancholicæ, ut ait *Gordonius l. c.*

5. Multum eò quoque conferunt *Affectus immoderati*, Metus, ob eandem rationem, ex *Hippocr.* deſumtam, *triſtitia & puſillanimitas ſi multum tempus habuerint, melancholicum faciunt humorem;* quæ rationes paulò ante Judæis aſſignabantur. Alia quoque accedere poſſunt παθήματα, terror, & ira, ſanguinem mirè commoventia.

6. EVACUATIONES tandem conſvetæ ſuppreſſæ, quæ aliàs ſæpiùs fieri ſolebant per nares, uterum, venæſectionem, cucurbitulas: aut nimium irritatæ clyſteribus acrioribus, cujus rei Hiſtoriam laudabilem refert *Foreſtus l. 23. obſerv. 4.* & de Glandibus acrioribus idem ab *Experientiſſ. Dn. Præſide* obſervatum eſt. *Externa* alia, ut Balneum in aquâ calidâ diutius prolongatum, ſeſſio diuturna ſupra rem duram, & infinita alia, quorum enumerationi ſuperſedemus, eandem calamitatem ferre queunt.

VIII. Succedunt RES PRÆTER NATURALES, quæ cauſarum naturam multotiès induunt, ut ſunt Intemperies variæ totius, aut Viſcerum principaliorum, calida præprimis, Lienis prava conſtitutio, Vaſorum p. n. apertio, diſruptio ab acribus humoribus, ab ulcere in teſtini recti, inciſio à vulnere, contuſio ex percuſſione vel caſu; menſium ſuppresſio vel imminutio. Conf. *Plater. Prax. lib. 1.*

IX. CÆCARUM nunc reſtant Hæmorrhoïdum, ſuppreſſarum, atque dolentium *Cauſæ* aſſignandæ, quæ, præter

eas,

eas, quas cum apertis communes habent, plerumque sunt contrariæ.

Proxima causa est expultricis debilitas, & retentricis robur, proveniens à vasorum angustiâ, obstructione, constrictione, duritie, vel soliditate, quas parit Sanguinis vel paucitas, vel frigiditas, crassities, visciditas, vel ejusdem ἀναῤῥοπία, perque supernas evacuationes aversio.

Remotæ sunt, Frigus ambiens, sessio super lapide gelido, ciborum vel medicamentorum refrigerantium, incrassantium, vel adstringentium usus; ira (notante *Exc. Dn. D. Rolfinc.*) sanguinis ῥοπὴν ad cor excitans, & à consuetis evacuationis viis avertens; Obstructiones viscerum, affectio hypochondriaca, nec non intempestiva excedentium hæmorrhoidum curatio, de quâ *Hippocr. 6. epidem. 3. & 6 aph. 12.*

X *Doloris* (ceu eminentis symptomatis) in Cæcis utplurimùm concurrentis *Causæ*, præter vulgarem continui solutionem, sunt illi ipsi Humores acres, & adusti, qui cùm exitum non inveniant, partes membranosas circumjacentes atque nervosas distendunt, vellicant, & lancinant, idque magis vel minus, pro tensionis remissione vel intensione, sangvinisque in vasis crassioris, vel copiosioris affluxu. Venarum quidem & arteriarum tunicæ propriè non sentiunt, teste *Aristotele, Galeno, & Experientiâ,* quamvis *Jacchin. cap. 72. in 9. Rhas.* idipsum negare videatur: Ani verò membranæ & cutis, tenuitate suâ labiorum cutim imitata, exquisito sensu sunt præditæ; cujus rei rationem subnectit *Aquapend. Chirurg. fol. 107. Flatus* quoque à sangvine crasso excitatos, dolorem interdum ciere asserit *Joh. Crato Consil. 206. f. 599. a.* Res *exterius* obvenientes etiam levi negotio dolorem suscitare valent, de quibus alibi fusius.

CAP. V.
DE DIFFERENTIIS.

I.

EX hactenùs dictis, variæ Hæmorrhoidum elucescunt DIFFERENTIÆ, quarum prima & potissima à GENERE sive

Formâ petitur, dum peccant Hæmorrhoides excessu, vel defe-ctu, illæ *Apertæ*, hæ verò *Cæcæ* dictæ, quarum descriptiones *suprà* sunt propositæ, *cap. 2.* Conf. *Galen. introduct. Isagog. Paulum, l. 3. c. 59. Aëtium, l. 14. c. 5.* & *Gorrhæum definit. medic. fol. 11.* quanquam Cæcæ apertarum quandoque appellentur Symptomata, uti habet *Mercat. & Pereda, lib. 1. de morb. curat. c. 52. in schol.*

Apertæ iterùm sunt magni vel parvi hiatûs, multi vel pauci sangvinis, sæpiùs vel diutiùs copiosè fluunt. *Cæcæ* vel planè sunt occlusæ & suppressæ, vel deminutè fluunt: contingunt item vel cum affluxu sangvinis, vel sinè affluxu, humoribus aliò conversis.

Quò pertinent notæ illæ quinque differentiæ, quas proponit *Autor (Galenus,* sive quicunque alius) *lib. definit. medicar.* petitas *à quantitate, qualitate, & loco:* nimirum

1. *ratione magnitudinis*, Hæmorrhoides sunt magnæ, parvæ vel mediocres.

2. *rat. numeri*, plures vel pauciores.

3. *rat. figuræ*, Cæcæ dicuntur uvales, morales, verrucales, aut vesicales, à rebus, quibus intumescentes assimilantur: quarum causæ ab aliis fusiùs explicantur.

4. *rat. constitutionis* sive moris, sunt mites vel malignæ, cancrosæ, vel gangrænosæ.

5. *rat. loci* sunt vel in ano, vel intestino recto, vel musculo sphinctere. Explicationem qui desiderat, *Autorem* ipsum, ejusque interpretes adeat, sufficit nobis, hic nuda eorum nomina indicâsse.

Ratione Temporis etiam, vel singulis mensibus (quanquam rarò id contingat) aperiuntur, perinde ut menstrua muliebria, vid. *Marcell. Donat. l. c. Hist. med. mirab.* vel spatio trimestri redeunt, aliquibus singulis annis semel aut bis accidunt, pro copiâ humorum, naturam magis vel minus stimulantium: sunt item recentes vel diuturnæ, quò spectat *6. aphor. 12. Hippocr.*

II. A SUBJECTO sive Loco cui inhærent, satis usitato nomine appellitantur Hæmorrhoides *Internæ* vel *Externæ*, de quarum origine atque propagatione *suprà cap. 3.* pluribus dictum.

ctum. *Internæ* ſcil. à Venâ portâ, ejusque ramo meſenterico, interdum etiam ſplenico oriri credebantur: *Externæ* verò à Venâ Cavâ deſcendente hypogaſtricâ, quæ eſt propago rami iliaci: illas vocabant Cacochymiæ evacuatrices, has autem Plethoræ depletrices; illas craſſiorem, has puriorem ſangvinem evacuare ſtatuebant. *Caſp. Bartholinus* octo harum inter ſe differentias proponit, *Inſtit. Anatomic. p. m. 349. libell. I. de Venis, cap. 4.* quòd ſcil. differant ortu, inſertione, numero, qualitate contenti ſangvinis, uſu, copiâ ſangvinis effuſi, doloris præſentiâ, arteriarumque concomitantiâ: de quibus conſule *Autorem l. c.*

Nunc autem *Internæ* ab Aortæ magnæ trunci venam portam comitantis ramo meſenterico inferiori: *Externæ* ab ejusdem Arteriæ magnæ rami, Venam cavam comitantis iliaco ramo, hujusque hypogaſtricâ arteriâ oriri viſuntur; quæ cunctæ inteſtinum rectum ingrediuntur, ſimulque muſculos ani circumjacentes irrigant.

III. A CAUSIS etiam proveniunt tùm Internis, tùm Externis, ſangvine peccante quantitate vel qualitate, vitio hepatis, lienis, aut uteri; ſunt hæreditariæ, vel adſcititiæ; adſuetæ, vel inconſuetæ. *rat. effectûs* ſunt ſalubres (interdum criticæ), vel inſalubres, de quibus *Petr. l. c. th. 7.* & hæ, *rat. ſymptomatum* incidentium, cum aut ſine dolore, vel febre, inflammatione, exulceratione, fiſtulis, gangrænâ, &c.

IV. Variæ iſtæ Hæmorrhoidum Differentiæ ad curationem quidem cognitu ſunt utiles; nos tamen in præſentiâ ad primam potisſimùm differentiam attendentes, cognitionem & curationem proponemus famoſisſimarum iſtarum, *Apertarum* atque *Cæcarum*: quæ quomodo ſint dignoſcendæ, nunc diſpiciendum.

Cap. VI.

DE SIGNIS DIAGNOSTICIS.

I.

Διάγνωσις Hæmorrhoidum 1. *ratione* GENERIS inſtituenda. SIGNA earum *Communia* jam ſuprà in definitionibus maximam

ximam

ximam partem ſunt allata: *Virium lapſus, crurum langvor, corporis color cachecticus, & ad viriditatem inclinans*, qui, teſte *Avicenn. l. c. talibus ægris proprius eſt*, adeò ut hoc fretus ſigno, plures ex hæmorrhoidibus laborare, cum magno artis honore, ſe pronunciâſſe glorietur *Foreſtus l. 23. obſ. 4.* Quibus præſentibus ſignis, utraque earum immoderatio, tàm quæ in exceſſu, quàm in defectu peccat, per ſe, & ex ægri querimoniâ pateſcit. Nihilominus tamen *Propria* quædam Signa addidiſſe juvabit, ut, quæ ſymptomata comitari ſoleant, appareat, variant enim illa pro diverſitate differentiarum.

Nimirum FLUXUS *imminentis* (maximè critici in febribus) ſigna ſunt, *Æſtus aut dolor circa ſpinam, lumborum tenſio, dolor in abdomine*: vid. *CL. Sennert. inſtit. L. III. part. 3. cap. 16.*

Præſentis verò notæ ſunt, quòd in *actionibus læſis* occurrit, Laſſitudo, *ἀποσιτία, ἀπεψία, καχεξία*, dolor, ſyncope & *Pulsûs* mutatio ex magno in parvum, langvidum, valdeque obſcurum: *in qualitat. mutatis*, Color dejectus, interdum tam fœdus, ut ægri ictero laborare videantur, *River. prax. lib. X. cap. 10.* oculorum ut & pedum tumor: *in excretis*, Sangvinis ejaculatio, cum, ante, vel poſt fecum excretionem, quæ fit deſtillando, & cognoſcitur dum anus tergitur; exit primùm feculentus & craſſus, dein bonus ac rutilus, ac tandem citrinus & pallidus. Conf. *Avicenn. l. 3. fen. 21.*

II. CÆCARUM indicia ſunt *rat. Generis*, præter tumorem atque tubercula in capitulis venarum, Dolor ſæpè vehementisſimus, qui exacerbatur, quando feces excernuntur, quandoque mitior, pro ratione diſtenſionis venarum, cujus vehementiæ ratio à partibus admodùm ſenſibilibus circa anum, nervoſâ ſphincteris ſubſtantiâ, nerviſque ab oſſe ſacro deductis petitur; interdum ſimul adeſt ani inflammatio, *Urinæ* ſunt craſſæ, turbidæ, quandoque cruentæ, vel ſtranguria accedit periculoſa, ex *Avicenn.* Optandum jam, ut ſingulorum ſymptomatum adductorum, & adhuc adducendorum *hoc & ſequ. cap.* rationes evidentes ſubjungi poſſent; verùm cùm ob materiæ prolixitatem, ſpatiique brevitatem, hac vice non liceat

nobis

nobis eſſe diſertis, quibusdam ſatis eſto digitum intendiſſe, examini publico reſervando, ſi quid obſcurum aut dubium videbitur.

III. SUBJECTI *ratione*, *Internas* olim ſangvine nigro & retorrido ex portâ venâ prodeunte cognoſcebant, floridum autem & rubicundiorem ab *Externis* ex venâ cavâ prodire exiſtimabant: imò antiqui per ſpeculum ani (catoptram vel catheterem ani appellant alii) referente *Hippocr. l. de hæmorrh. Rhaſes* per ventoſam, internas cognoſcebant, remedium utrumque hodiè inuſitatum, nec ſatis tutum, cenſore *Foreſto, c.l.* Hodiè ex lege circulationis idem ubivis dominatur humor. Si tamen à cruore exeunte ſignum aliquod petendum, ſangvis ubi *ex arteriis* profluit, majori id fit cum impetu, *ex venis* aliquando tardiùs exſtillat, ceu patet in hæmorrhagiâ narium. *Cœcæ* tamen internæ pruritu ani, pondere circa ſedem, & difficultate excernendi ſeſe produnt: Externæ viſu & tactu dignoſcuntur, maximè circa fecum excretionem tumor earum digito prehendi poteſt.

IV. CAUSSARUM reſpectu Signa variant: internæ cauſæ ſuprà adductæ ex domeſticis patent humorum ſignis: externæ ab ægris, vel adſtantibus addiſcendæ: ἀναστόμωσιν fluxus copioſior, διαπήδησιν parcior notat. Sanguis an quantitate, an qualitate peccet, quomodo cognoſcendum, *Riverius l.c.* prodit: humor in corpore abundans cognoſcitur tùm ex ægri temperamento, tum ex ratione excreti, *perpetuò enim id, quod evacuatur tale eſt ſpecie, quale eſt, quod in animali redundat, Gal. 3. de cauſ. ſympt. cap. 4.* Dolor gravativus frigidam, punctorius calidam arguit cauſam. Sic & Viſcerum malè affectorum ſigna ex propriis fontibus petenda. CÆCARUM ſive ſuppreſſarum cauſæ, partim eâdem, partìm contrariâ ratione inveſtigantur.

V. Utile quoque erit, SIGNA DISTINCTIVA adjicere ut, quantum fluxus aut tumor vaſorum hæmorrhoidalium à ſimilibus differat affectibus, appareat; quod quantæ ſit neceſſitatis, *Alexand. Maſſarias lib. 3. pract. med. cap. 24.* monet, *Ne*

 deci-

decipiamur cum vulgaribus, qui, *apparente aliquo tumore, vel fluxu aliquo ſangvinis circa ſedem, ſtatim ſine morâ hæmorrhoides eſſe ajunt, cùm tales affectus inter ſe & naturâ & curatione differant. In genere* quidem CÆCAS à *Fluentibus* diſtinguere vel cæcus poſſet. FLUXUS autem *hæmorrhoidalis* 1. ab *Hepatico* ita dicto, qui etiam ſub ſanguinis ſpecie per anum effluit, differt, quòd hic uno vel altero die reprimatur, & poſt iterùm redeat; ille verò minimè, ut volunt aliqui.

2. A *Dyſenterico*, quia nec mixtus eſt cum fecibus, neque cum dolore & torminibus dejicitur; imò in dyſenteriâ plerumque reliquorum humorum copia ſanguinem ſuperat, & inſignis adeſt ventris tenſio, ſecùs ac in hæmorrhoidum fluxu, teſte *Fernel. lib. 3. de part. morb. & ſympt. cap. 10.*

3. A Menſtruo fluxu in fœminis, uti tempore & plerumq; loco, ſic & in eo differre vult *B. Horſtius l.c. problem. medic.* quòd menſtrua communitèr etiam ſanis conſtitutionibus conveniant, &c. de quâ differentiâ vid. *epiſt. Maurit. Schræteri ad Horſt. perſcript. Lib. IV. Obſerv. 53. Oper. T. II. f. m. 245.*

4. Ab *Uteri hæmorrhoidibus* loco ſaltèm differunt, cùm aliàs hi duo affectus maximè inter ſe conveniant, ſunt enim hæ in mulieribus itidem cum aut ſine dolore, cœcæ vel fluentes. Vid. *Dan. Sennert. Lib. IV. Med. pract.*

VI. TUMOR quoque Hæmorrhoidum *cæcarum* à ſimilibus diſtingui meretur, in quibus magna ſæpius in praxi vulgari occurit confuſio. Diſtinguendæ igitur *Tumentes*

1. à *Mariſcis*, quæ ſunt tubercula carnoſa, & longa, & quaſi verrucæ, ad cutem tenuia, ſubrubra; & ex præpoſterâ venere, vel attritione quavis eâ in parte generantur: quæ ſigna vel cauſæ hæmorrhoidibus minimè competunt. *Petr. l. c. th. 11.*

2. à *Thymis*, quòd hi latius extendantur, florem thymi plantæ referant, & aliis quoque partibus innaſcantur, ut palmis, pedibus, femoribus, glandi, præputio, & pudendo quoq; muliebri, qualem inſignem ex lue Gallicâ contractum in puellâ cauſtico ablatum vidit *Foreſtus lib. 23. obſ. 3. ſchol.*

3. à *Fi-*

3. à *Ficubus* sive συκώσει, quòd hæc major est quantitate & magnitudine, ut scribit *Aetius*.

4. à *Condylomatibus*, quia hæc sunt oblonga, & venas non attingunt: hæmorrhois verò major est, nigra & rotunda, venam aliquam occupans: nihilominùs aliquando cæcæ hæmorrhoides ad condylomata accedunt, exemplum habet *Forestus*, *c. l. obs. 7.*

5. à *Rhagadibus* ani etiam facilè discriminantur, quòd hæ sunt ulcera quædam in fissuras diducta, iis persimiles, quæ in manibus aut labiis à vehementi frigore excitantur. *Massar. l. c. fol. 229.*

6. à *Cristis* sive excrescentiis ani (quas *Lazar. Riverius* turpitudinem à suâ gente Gallicâ amoliturus, Italiæ familiares esse ait, earumque in mulieribus non solùm, sed & puerulis Romæ degentibus visarum abominabiles historias refert *P. Forestus*, *l. c. obs. 7. in schol.*) quòd ea ex nefandâ venere oriantur, pullorumque gallinaceorum cristas referant, à practicis scriptoribus quibusdam *Hæmorrhoides cristatæ* dictæ.

VII. Deniqúe *Dolor Hæmorrhoidum* à *Tenesmo* distinguendus, quia in iis exitus fecum non fieri traditur cum expressione adeò vehementi, tantoque conatu, sicut in tenesmo fieri assolet. *Forest.* *Gangrænosas* à dolentibus, aspectu partium, quantumvis fædarum, discerni jubet *Aquapendens* in *Chirurg.* Tactu quoque noscuntur, gangræna enim facillimè sanguinem fundit. plura vid. *infra Cap. ult.*

CAP. VII.

DE PROGNOSI.

I.

PROGNOSTICUM instituitur 1. quoad EVENTUM MORTIS AUT SALUTIS. *Bonæ & Salutares* sunt Hæmorrhoides ritè & ordinatè fluentes, totiusque corporis Sanitatem ex iis resultare necessum ducit *Hier. Fabric ab Aquapend. f. 112.* prosunt enim maximè in Melancholia & insania teste

Hipp.

Hipp.6.aph.12. causam addit *Galen.in Comm.* deinde in Apoplexiâ, peripnevmonia, pleuritide, *Aquap. l. c.* Febribus intermittentibus & putridis, ardentibus, Hungaricâ, teste *Amato*, de seipso, in Calculo & nephritide, *6. aph. 11.* obstructionibus venarum mesaraicarum, exemplo Abbatis cujusdam apud *Aquapend.* in Tenesmo *River.pr.med. lib.10. cap.7.p. m. 507.* Suppressione mensium, exemplo fœminæ apud *Aquapend. l. c.* & *Zacutum l.2. de Praxi admir. observ.106.* aliisque uteri, pudendi,& vesicæ affectibus, *Petr.l.c.§.22.* in Affectibus, quoque *externis*, ut Cancro, phagedœnis, dothienibus, lepra, vitiliginibus, teste *Hipp. lib. de humorib. sub fin.* in cæteris morbis periculosissimis, cùm omnis humorum abundantia vi hujus evacuationis expurgetur, *Zacut L. II. Med. princip. Hist.116.* Sic ut *Aquapendens* absolutè concludere haud erubuerit, *Hæmorrhoides in omnibus ferè morbis, tùm præcavendis, tùm curandis prærogativam obtinere, primumq́; habere locum:* immò tanquam corollarium, eliciat, *hanc sanguinis evacuationem esse magis quàm per venam sectam affectandam, auspicandam & explendam.*

II. Verùm *Morbosæ* Hæmorrhoides quàm multa eaque gravissima adferant symptomata, Autorum testimonia confirmant plurima,& quotidiana loquitur experientia: Utramq; enim immoderantiam periculosam statuit *Hippocr. & Galen.* De *Apertis* in genere *Aëtius tetrab.4. serm.2.c.5.* scribit, quòd deformitatem, tùm miseram vitam inducant, multos verò etiam vitâ privent; Singulorum causam subdit *idem ib.* Pericula plura vid. *cap. præced. de signis.* *Cæcæ* autem & *suppressæ* pariunt ὕδρωπα ἢ φθίσιν, effato *Hippocr. 6. aph.* 12. rationes varias reddunt commentatores, ex neotericis vid. *Nath. Highmorum, disquisit. anatom. c. l.* Maniam suscitant, exemplo *Alcippi* apud *Hippocr. 4. epid. sub. fin.* Epilepsiam, dysenteriam, stranguriam, Febrem quartanam, icterum, teste *Jouberto*; sangvinis sputum, *Amat. Lusit. cent.2 curat.13.* Lienis Scirrhos & tumores, Arthritidem, exemplo *D. Monavii in Epist. à Scholzio collectis.* Scabiem ferinam, ulcera & fistulas apud *Paræum*; *Catarrhos* etiam, prout ipse observavi in Viro quodam reverendâ dignitate

præcla-

præclaro, mihiq́ue ſangvine junctiſſimo, qui à ſuppreſſo hoc conſveto fluxu ſævam catarrhorum vim expertus, priſtinam ilicò, apertis iterum meo ſvaſu hæmorrhoidibus, ſanitatem recuperavit. *Vulnera externa* ſuppreſſionem hæmorrhoidum ſæpiùs incurabilia reddere, monet *Fel. Würtz Chirurg. p. m. 50.* idque exemplo fœminæ menſium ſuppresſione laborantis, ac vulneratæ, probat. Inſigni hanc rem quoq; Hiſtoriâ illuſtrat *Vir Excellentisſimus & de Republicâ Medicâ meritisſimus Dn. D. Joh. Agricola, Phyſic. Wratislavienſ. primarius, Fautor & Patronus meus multis nominibus colendus, Chirurg. parv. p. m. 9.*

III. *Ratione ſubjecti*, in genere omnes Hæmorrhoides peccantes ſunt curatu difficiliores, quia locus ille valdè ſenſilis eſt, à fonte caloris nimiùm remotus, nimis humidus, ſtrata quoque ſemita, per quam excrementa alvi quotidie tranſeunt, ceu communis corporis cloaca, nec medicamenta exhibita hîc morari, vireſque ſuas ſatis commodè exſerere valent. Periculoſiores quoque excedentes deficientibus quidam ſtatuunt; verùm illas faciliùs curari exiſtimant, quamvis & hîc prudentia ſit adhibenda medica. *Conf. 3. de hum. t. 27. & 5. epid. 3. t. 38. In ſpecie* minus imminere videtur periculum ab excedentibus externis, quàm internis, *Solenand. conſil. 20.* Cæcæ hæmorrhoides internæ ſi verſus virgam tendunt, periculoſæ ſunt, & urinam plerumque conſtringunt, *Avicenn.* l. c.

IV. *Cauſæ* ratione, faciliùs curantur ortæ à Cauſis externis, quàm internis. Hæreditariæ incurabiles ut plurimùm, aut ſi ſupprimantur, magno id fit cum periculo, vid. *Solenand. l. c.* Conſvetæ mediocriter fluentes, etiamſi in ſenio, laudabiles, exemplo Patris *Foreſti l. 23. Obſerv. 4.*

V. Quoad TEMPUS EVENTUS, malum utrumque ſatis ſæpè diuturnum eſt, & licet curetur, facilè recrudeſcit. Fluxus immodicus ſi intempeſtivè & citò nimis ſiſtatur, aliò converſus majora ſæpè concitat mala. Quarto demum anno conſvetas aliàs, ſponte redire vidit *Foreſt.*

VI. Quoad MODUM EVENTUS, ad *ſalutem* terminantur *Apertæ*, fluxum vel arte cohibente, vel naturâ ſangvinem per alias vias rejiciente, per hæmorrhagiam narium, vomitum

 (ut *ex*

(ut *ex Amato Lusit.* patet) mictionem cruentam, quam aliquoties observavit *Excell. Dn.D. Præses. Suppressæ* autem sive cœcæ, vel vasorum apertione salutari, modicoque effluxu, aut etiam aliquando omnimoda exsiccatione. *Dolentes* diutiùs interiores, visæ tandem sunt salutariter terminari per purulentam, sponte excretam materiam, ulcereque exsiccatô, quæ observatio est *Nob. Dn.D.Rolvincii, Decani spectatissimi.* In alios quoque deteriores morbos, qui tandem *ad ipsam quoque mortem* deduxêre, migrant hæmorrhoides, superveniente *hydrope*, aut *tabe.* Ex hæmorrhoide suppuratâ *fistulas* fieri, scribit *Paræus* l. c. quas incurabiles pronunciat *Riverius:* Diutiùs suppressas & ab ægrotis neglectas hæmorrhoides in abscessum scroti periculosum, in aliis, in abscessum partium vicinarum (quibus curatis fistulæ remanserint) abeuntes vidit *Nobiliss. & Excell. Dn. Præses. Excedentes* denique, virium prostratione plenariâ, velut aliæ sangvinis evacuationes immodicæ, finiri solent; exemplo *Jacobi Horstii* Medici celeberrimi, fatente patruo ejus *Gregor. Horst. in Observ.*

Cap. VIII.

De

CURATIONE APERTARUM HÆMORRHOIDUM.

I.

IN CURATIONE Hæmorrhoidum peccantium, ad tres præcipuè scopos collimabimus, ex principali earum differentiâ petitos, propostituri 1. *Apertarum sive nimis fluentium cohibitionem.* 2. *Cœcarum sive tumentium atque suppressarum provocationem,* & 3. *Doloris mitigationem.* Pro quibus feliciter attingendis, ex METHODO MEDENDI primùm diversæ pro diversis affectibus INDICATIONES resultant.

II. Ac initiò quidem in FLUENTIUM cum excessu curatione, secundùm *indicationem curatoriam, contraria* sunt objicienda, ex lege *Hippocr. l. de flat. t. 7.* quæ sunt, Fluxus inhibitio, & aversio. Inhibitio duobus modis peragitur, ut in aliis ejuscemo-

cemodi fluxibus, ſec. *Gal. 5. method. med. 2.* tùm ſangvinis affluxum prohibendo, tùm affluenti exitum præcludendo. Averſio fit tripliciter, revellendo, repercutiendo, & derivando. Pro ratione itaque *Cauſarum*, (juxta *Præſervatoriam indicationem*) ſangvis, quatenus copiâ peccat minuendus; quatenus motu, revellendus, intercipiendus, repellendus; quatenus loco, derivandus, quatenus fervore, refrigerandus, ſeroſus & bilioſus evacuandus. Neque *vires* omninò negligendæ, quò pertinere videtur ſolennis illa quæſtio, *an diuturnus Hæmorrhoidum fluxus conſtringendus, an verò una ſervanda?* Poſterius affirmare videtur *Hippocrat. 6. aph, 12.* idem verò negare *Aëtius, tetrab. 4. ſerm. 2. c. 5.* & ipſe ferè *Hippocr. lib.* de *Hæmorrhoid.* omnes urere jubens. Conciliationem proponit *Sennertus*, affirmativam cum *Hippocr.* defendens, eumque *l. c.* de recentibus locutum excuſat. *Aetium* verò *Zacut. c. l. dub. 66. f. 392.* explicat, ac ſi ex aliorum mente loqui videatur. Conf. *Valleſ. l. 8. controv. c. 6. & Donat. ab Altomari, cap. 76. Heurn. ad dict. aphor. & Aquapend. l. 1.* præſtat ergò in diſpoſitis unam ſervare apertam.

III. MATERIÆ AUXILIORUM hauſtæ ex fonte CHIRURGICO potiſſimæ ſunt 1. *Venæſectio*, remedium in omni ſangvinis profluvio revulſorium, præſertim in plethorâ, inſtituatur in brachiis, vel cruribus, cautè tamen in iis, quibus ſunt familiares, cùm phlebotomia in cubito facta retineat hæmorrhoides, in cruribus perinde ut menſes promoveat, teſte *Galeno de cur. rat. per V. S. cap. 6.*

2. *Cucurbitulæ* deficientibus viribus ſubſtitui queunt, affigendæ frequentius ſcapulis, lumbis, hypochondriis dextri, vel ſiniſtri lateris, cum vel ſine ſcarificatione. *Solenand. l. c.*

3. *Frictiones* item & *Ligaturæ* pro revulſione, quas etiam ad animi deliquium, ſed forſan ſeverè nimis, vult *Maſſarias.* eas tamen unà cum cucurbitulis rejicit *Plater. Prax. T. III. fol. 550.* Putamus tamen, eas locum habere poſſe in brachiis.

4. *Fontanellas* in cœcis & apertis apprimè convenire pluribus demonſtrat *Zacut. L. X. Hiſt. med. princ. obſ. 18.*

5. Ex hoc fonte interdum ferro & igne, ceu extremis re-

mediis opus est, qui crudelior curandi modus per *sectionem* & *ustionem* antiquis admodùm familiaris erat, uti videre est apud *Hippocr. in h. l.* dum scalpello hæmorrhoides liberabant, dein acu filum trahente perforabant, tandem abscissis earum capitibus ferro ignito urebant. Verùm candentia talia ferramenta adhibere facilè dictu, factu perdifficile, quicquid etiam de innoxiâ recti intestini sectione, resectione, ustione & putrefactione dicat *Hippocrates*, quo de loco *Aquapend. vid. judicium. Alexander Massarias* tamen *sub fin. L. 3. prax.* hanc operationem semel se Venetiis vidisse testatur, anno 1569. Cæteras *Hippocratis, Galeni, Celsi, Dionysii & Pauli* chirurgias breviter proponit *Aquapendens l. c.* suumque modum, quo Hæmorrhoides inurat per punctionem, subnectit.

IV. *Sed ut ingenuè fatear* (ejusdem Authoris verba sunt) *potior ratio & tutior ea est, quæ medicamentis pugnat:* quæ proinde ex PHARMACEVTICO *fonte* petenda. Sunt hæc vel *Evacuantia* vel *Alterantia*, *Priora* tam in curatione, quàm præservatione, si cum judicio adhibeantur, proficua sunt; frustrà enim de sistendo fluore consiliũ suscipitur, nisi mali origo priùs tollatur, quod evidenti exemplo comprobat *Solenand. sect. 4. cons. 22.* sint autem ea omnium consensu *Leniora*, quibusdam *minorativa* dicta, ut *Manna, cassia, Sirup. rosar. aut violar. solutivus.* quæque simul vim quandam adstringendi obtineant, inter quæ principem locum, judicio *Hieron. Mercurialis* obtinent *Tamarindi*, hisce in fluxibus tàm in substantia, quàm decocto usurpati; quos sequitur *Rhabarbarum, myrobalani, fol. senæ, sirup. de cichor. cum rhabarb. diapersicor.* & similia. Evacuantur itaque hoc modo humores serosi & acres sangvinem continuò stimulantes; neque fluxui ulterior præbeatur occasio, feces induratæ solvendæ.

℞. *Tamarindor:*
prunor. acidulor. exossat. an. ℥vj.
myrobalan. citrin. ℥ß.
Coqu. in aq. & tertia parte vini rubri,
Colatur add. Rhabarb. ℨß.
spica ℈j.

iterùm exprimatur. cui add.

Sir. rosar. rubr. sicc. ℥ j.

D. S. Laxirträncklein auff einmahl.

℞. *Pulv. laxativ. vegetab. g. xv.*

Man. Christ. perlat. ℈ß.

M. S. Laxir-Pulver.

℞. *Elect. rosat. Mes.* ʒ j.

Rhabarb. elect. ℈ j.

cinam. g. vj.

sacchari q. s. *M. F. Bolus.*

S. Laxir-Zucker.

Si tamen æger aliàs valdè biliosus fuerit, Saccharata ista admodùm parcâ manu adhibenda sunt. A fortioribus etiam hîc abstinendum Purgantibus, nisi forsan pro Bilis evacuatione exhibeantur, antequam fluxus is ingruat, iis, qui aliàs ipsi sunt obnoxii; ne vitiosi tales humores cumulentur, naturaque ad excretionem stimuletur, de quibus mox in sequentib. Hucque respexit *Hippocrates, lib. 2. de rat. vict. in acut.* svadens *Veratrum* propinare, & singulis quoq; septimanis VOMITUM ciere. Si Sangvis nimio diffluat Sero, roboratis prius visceribus, DIAPHORETICA etiam, quæ tamen sint temperata, exhiberi queunt, ex *rad. chin. contrayerv. tormentill. C.C. pp. bolo arm. antimonio diaphor.*

℞. *C. C. philos. pp.* ʒ ß.

Antimonii diaphoret. gr. v.

M. D,

S. Schweißpülverlein auf einmal.

V. Leni sic Purgatione institutâ, & primis viis ritè evacuatis, causâque maximam partem sublatâ, protinùs ad compescendum hunc fluxum descendendum, quod fit per ALTERANTIA interna vel externa, generalia vel specificâ virtute prædita.

INTERNA sunt omnia, quæ sangvinem sistunt, adstringentia, & in aliis sangvinis profluviis utilia: *Alchimilla, bellides, bursa pastoris, equisetum, hypericum, millefolium, polygonum,*

plantago, portulaca, ſanicula, tormentilla, veronica, virga aurea, bolus armenus, ſanguis draconis, lap. hæmatites; ex uſualibus, Sirup. myrtin. cydonior roſar. ſiccar. corallor. trochiſci de berber. ſpodio, pilul. de bdellio, quas *Rondeletius*, ob fucum rejicit, ei tamen plura objicit *Riverius prax. c. l. Specificè* verò commendantur ad hunc fluxum compeſcendum ex *Vegetabilium* regno, *Verbaſcum* ſive *thapſus barbatus*, quam plantam huic fluxui appropriatam eſſe ajunt *Plater. & River.* radix *chelidonii min.* & *ſcrophular.* fructus item immaturi *ligni Gvajaci*, experimento *Aquap.* Ex *Animalium* grege laudantur, *Angvillæ pinguedo, ſanguis humanus, vel aliorum animalium, pulmo arietis, pili leporini, tela aranearum, bufonis terreſtris* combuſti pulv. *Leonell. Favent. in pract. crepitus lupi*, quorum quædam exterius etiam adhibentur. Ex *mineralium* gazophylacio, & chimicorum penu prodit *Mars*, ejusque *eſſentia*, & *crocus*, à *Crollio in Baſil. Chim.* commendati, *Tinctura* ejus adſtringens in minimâ doſi exhibita, vires maximas exerens, deſcribitur à *Magn. D. D. Rolfinc. Chim. in artis form. redact. lib. IV. sect. 1. art. 3. cap. 14. p. 219.* ⊖ *corallorum*, à *Crollio, Beguino*, & aliis, tantoperè laudatum, quid ſit, & an tantas vires obtineat, judicio ejusdem *D. D. Rolf. in nupero Colleg. Conſult.* dubitabatur. *Oleum Martis & corallor.* alii extollunt; ut & *Antim. colcothar* ⊕li; quidam in caſibus deſperatis ad *aquam fortem* dictam accedere non verentur, illâ venam tangentes. *Paracelſus lib. de præparat. fol. m. 864.* ex *marcaſitâ* aureâ & argenteâ curam hæmorrhoidum deducit. Ex his atque ſimilibus formulæ variæ concinnari queunt: e. c.

℞. *Conſerv. ſymphyt.* ℥j.
roſar. ℥ß.
gumm. tragacanth. arab.
ſangv. dracon ā*a* ʒij.
boli armen. ʒiij.
cum Sir. myrtin. F. Electuarium.
S. Latwerge gegen den Blutfluß.

℞. *Pilul. de bdellio* ʒj.
trochiſc. de carab.

terr. sigillat. ãa ℈ j.
cum mucilag. sem. cydonior. per aquam rosac.
extract. F. Massa. Dos. ℈ j.
S. Pillen/davon Abends und Morgends vor Tische zu gebrauchen.

℞. *Rad. tormentill.*
serpentar. an. ℥ß.
Cinam. galang.
caryophyllor. an. ℥ß.
terantur, & coqv. in Vino rubro,
add. Camphor. ʒ j. M. F. Potiuncula.
S. Sonderbarer Tranck.

Urgente nimis fluxu cruento, exhibenda sunt illa, quæ sangvinem incrassant atque stupefaciunt, qualia sunt *Opiata* narcotica *sir. de papav. theriaca rec. laudanum opiat. pilul. de cynogloss.* quæque simul adstringunt, ut *trochisc. de carabe, de terrâ sigill.*

℞. *Theriac. recent. ℈ j.*
Aqv. millefol. ʒ j.
M. D. in cochl.

℞. *Laud. opiat. de tribus gr. ij.*
Conserv. rosar. rubr. ʒ j.
M. F. Bolus.
S. Blutstillender Zucker.

Cautio tamen in hujus opiatæ usu ab *Exc. D. D. Rolf.* proposita *in Epit.* haud negligenda, ne vomitu excitato, aut alvo nimiùm laxatâ, per adauctam dosin vasa sedalia magis irritentur.

IV. EXTERNA sive Topica suum etiam hic conferunt ἐπιβάλλον μέρος, imò omne absolvunt punctum ex multorum sententiâ, dum plus hoc in casu præstare dicuntur, quam adstringentia intus assumta; hæc enim si debilia sunt, nihil efficiunt, & vis eorum perit, antequam ad partem affectam pertingant; sin validiora, multum constringendo sangvinem exprimunt, fluxum augent, ventremque siccant. vid. *Rondelet. c. l.* Illarum materiæ partim in præcedentibus adducta, partim nunc adducendæ. Notum est 1. *Cingulum belleborinum*, ex foliis *bellebori nigri* contextum, nudoque corpori circumdatum, quo

quo *Hartmannus in prax. chimiatr. f. m. 124.* sese feliciter usum esse asserit. *Sacculos* binos alternatim adhibuit *Rulandus*, confectos ex panno rubro, & glandibus aut quercûs foliis aceto forti decoctis refertos, quibus ocyus fluor constitit. *Alöen* extollit *Aëtius l. c.* exterius cum squamâ ferri, & plumbo usto impositam.

2. *Fomentum* ex decocto verbasci in ▽ ferratâ vel vino adstringente paratum *Riverius* existimat fore utilissimum.

3. *Ungventum* Comitissæ modò nominatum suas obtinet laudes, si illo dorsum & hæmorrhoides inungantur. Fieri similia possunt ex *succo plantag. burs. pastor. thapsi barbat. sangv. dracon.*

℞. *Succ. plantag.*
solan. aa. ℥ *ij.*
aloës.
terr. sigill. strig.
cortic. thur. aa. ℥ *ij* ß.
Ol. myrtin.
mastich.
rosar. an. ℥ *j.*
album. ovor. no. ij.
cum ceræ & aceti modico.
F. Unguentum. *S.* Sälblein.

Quanquam *Rondeletius* magis unguenta probet, quæ sinè oleis parantur, eò quòd magis adstringant; proinde tale exhibet:

℞. *Succ. burs. pastor.*
thapsi barb.
plantag. an. ℥ *ij.*
Sir. acetos. simpl. ℥ *jv.*
Coqv. simul leniter: quibus add.
Sangv. dracon. ℥ *j.*
terræ sigill. ℥ *iij*
rad. bistort. pulveris. ℥ *j* ß.
ceruss. lot. ℥ *j.*
M. F. l. a. Linimentum.
S. Lendenschmir.

4. Empla-

4. *Emplastra* ex iisdem fiunt: confert ex usualibus *Emplastrum contra rupturam*, sedi aut lumbis applicitum.

℞. *Aloës,*
thur.
boli arm. an. ʒß.
sangv. dracon. ʒij.
cum Ceræ s.q. F.s.a. Emplastrum.
S. Pflaster offters auffzulegen.

5. *Injectiones* per syringam (si iis opus esse videtur) præparari queunt, ex *succo plantag. equiseti & simil.* antea notatis, vel ex *sangvine animalium (proprio, suillo, bubulo, vel asinino)* adhuc calente: aut tale formetur Suppositorium:

℞. *Mellis inspiss.* ℥ß.
vitell. ovi n. j.
pulv. scarab. combust.
terræ sigill.
pulv. carab.
lintei viscositate spermat. mnar. imbuti, atq; combusti, an. ℈j.
sangvin. dracon.
pulv. gallar. an. g. viij.
F.l.a. Suppositorium, cum Ol. myrtin. s.q. inungendum.

6. *Thermas* commendat *Aëtius* aluminosas. *Insessus* quoque fiant vel in aquâ frigidâ, vel ex decoctis specierum adstringentium *supra* memoratarum, quarum sylvam videsis quoque apud *Macas. promtuar. mater. medic. L. II. c. 8. p. m. 95. & 331.* Plura qui expetit medicamenta huc facientia, adeat *Paulum Ægin. Aëtium, ll. cc. Rondeletium, Leonell. Faventinum* &c.

VII. Viscerum præterea ROBORI prospiciendum; Hepatis nempe & lienis, si calidiora deprehendantur, non solùm intemperies corrigenda, sed & robur iis adflandum, Cordique maximè in tanto sangvinis ardore succurrendum. Exterius tale applicetur epithema:

℞. *fl. rosar. alb. odorat.*
violar. purp.
papav. errat. an. m. j.
spec. diatr. santal. ℥iß.
camphor. gr. iij.
M. F. Sacculus ex sindone rubro.
S. Hertz-Küßlein.

Obstructiones etiam hepatis & lienis priùs tollendas esse monet *Riverius*, quæ solæ sæpius malum augent, & curationem remorantur; sic ut aliquando, fluxum hunc contumacem *Pilulis ex chalybe*, ab ipso *lib. XI. prax.* descriptis, prorsùs abstulerit.

VIII. DIÆTA morbo contraria instituatur. *Aër* ad frigidum vergat, nisi talis sit, arte paretur, pavimento foliis refrigerantib. *salicis, ros. viol. santalisq;* consperso.

Victus ratio sit incrassans, & mediocritèr adstringens. Cibi sint facilis coctionis, & magis ad frigiditatem inclinantes. Commendatur *ptisana* in prandio & cœnâ sumta, oryza cum lacte & amylo cocta, jura carnium cum cotoneis mista, pedes, & partes animalium tendinosæ, carnes gallinarum, perdicum, quæ cum uvis acerbis coquenda sunt, à melle & aromatibus abstineant. *Condimenta* parentur ex malis cydoniorum, sorbis, mespilis, ribesiis, berberibus. Ex *Oleribus* prosunt lactuca, endivia, cichoreum, acetosa. *Vinum* bibant ex mente *Hippocr.* rubrum, austerum, lentiscinum commendat *Roder. à Fonseca.* Toto curationis tempore Aquam ferratam, vel decoctum millefolii pro potu ordinario præscribit *Riverius*, cui an obtemparaturi sint Germani nostri delicatuli, dubito. *Quies* omninò utilis est; adeoque omnis corporis aut animi motus vehementior evitandus, ut & cætera suprà inter Causas enumerata, cautè declinanda.

CAPUT IX.

De

CURATIONE CÆCARUM HÆMORRHOIDUM.

I. CÆ-

I.

CÆCARUM, tumentium atque ſuppreſſarum Hæmorrhoidum CURATIO contrariam planè *medendi rationem* requirit. *Curatoria* enim Indicatio, quæ ibi claudere jubebat, hîc aperire ſvadet ora vaſorum: *Præſervatoria* Cauſas removeri poſtulat, quæ faciunt ut fluxus ſupprimatur, vaſaque obturentur. Viæ igitur aperiendæ, ſanguis craſſior contemperandus, interdum aliò revellendus, aut derivandus, nonnunquam prorſus exſiccandæ. *Vires* ſimul attendendæ, atque *Symptomatibus* urgentibus maturè occurrendum, de quibus poſterioribus, *ſeqv. Cap. ult.* In genere quidem, nemo forſan erit, qui dubius quærat, an illi, cui conſuetus anteà fuerit hæmorrhoidum fluxus, isq; p. n. ſubſtiterit, imminere autem videatur, atque præpediatur, ſit promovendus? Verùm ea demum quæſtio ad praxim ſalutemque ægrotantium maximè utilis, videtur *Aquapendenti, an illi, qui nunquam eas paſſus ſit, tutò aperiri queant pro morbis ſolvendis?* id quod & ipſe ſuopte approbat calculo, & optimè quidem, rationibus ſatis evidentibus, quæ videantur *ibidem.*

II. Ad *Indicata*, eorumque materias pedem movebimus. Aperiuntur autem clauſæ hæmorrhoides vel medicamentis, vel inſtrumentis Chirurgicis. Generoſiſſima iterùm ex CHIRURGIA ſeſe offerunt remedia, quæ *Aëtius h. l.* Medicinæ præfert, contrarium verò ſentit *Aquapendens.*

1. Primum eumque antiqvum obtinet locum VENÆSECTIO, quæ primò revulſionis gratiâ in brachio, deinde in talo derivationis ergò inſtituenda. Hanc ante hæmorrhoidum apertionem in corpore plethorico perutilem deprædicat *Henr. Petræus l. c.* quare in inferioribus inutilem cenſeat *Platerus, T. I. Prax. cap. 14. p. 256.* non videmus.

An hæmorrhoides tumentes tutò Scalpello, aut lancettâ, aperire liceat, non immerito quæritur? Negativam tuentur *Sennertus, l. 2. de febr c. 5. Crato, conſil. 207. Zacutus, hiſt. Med. princ. l. I. hiſt. 39. f. 93.* & non pauci alii, perterrefacti ſequente ſangvinis fluxu periculoſo, fiſtulisve incurabilibus. Notabilis hac de

re est Historia *Serenissimi Principis Johannis Austriaci, Caroli V. Imperatoris Filii* (referente *Dionys. Daca Hispano, l. 3. de apostem. c. 188.*) qui scissis his per scalpellum venis, largoque sequente sanguinis fluxu in ipsis medicorum manibus infortunatè occubuit. Simile exemplum legitur apud *Zacutum l. c. obs. 40.* de juvene quodam robusto, qui eodẽ modo ob cæcas hæmorrhoides lanceolâ apertas, subsequente largissimâ hæmorrhagiâ, vitam cum morte commutavit.

Marc. Aurel. Severinus, l. de efficaci medic. p. 2. cap. 17. hanc rem affirmat, sed alium modum proponit. *Verba ejus sunt:* Hæmorrhoides compungi multo sangvinis affluxu distentas, novũ nõ est, sed sæpè tùm à peritis medicis, tùm à vulgaribus usitatum. Ex doctis autem præcipuus est *Alex. Massaria*, qui tum *in opere de morbor. curat.* tùm *in lib. de scopo mitt. sangv.* ferro magis, quam hirudinibus aperiendas statuit: itemq; *Jacob. Sylvius, in meth. curat. morbor.* & ante hos *Petrus Argellata, in chirurg.* Ubi tamen scalprum asperius videatur, præsertim pueris, & mulieribus, tum, omisso ferro, capietur hamulosum pericarpium *dipsaci*, cardui illius, mense septempri collectum, (*jacéam luteam* in *historiâ plantar.* pinxit huic rei commodam *Carol. Clusius,*) & ad illud globuli plumbei frustulum accommodabis, quò certiùs impelli possit: tutò sic particulam feries, humore, quanto opus, exhausto. Tutò autem hanc rem expediri testificatus est experimento Rev. Sacerdos Ant. Leonhardus, qui non alio sanè modo, multis abhinc annis turgentium hæmorrhoidum dolorem sibimet ipse lenire consuevit.

2. CUCURBITULAS eligunt alii, quas pro diverso scopo hypochondriis, alii coxis applicant: vid. *River. in prax.* an etiam *natibus* applicandæ? non conveniunt inter sese: verùm quæstionis hujus decisionem elegantem proposuit ante biennium *Nob. Excell. Dn. D. Joh. Theod. Schenckius, Anatom. Chirurg. & Botanic. Prof. Publ. Præceptor & Promotor meus ætatem colendus, in prælect. publ. Chirurg. problem. de Scarificat.* cum quo ob insigne commodum, eas, sed prudenter usurpandas, omninò commendamus.

5. Omni-

3. Omnibus tamen hisce præferendæ HIRUDINES, ceu specificum & determinatum hæmorrhoidum remedium, teste *Petræo.* Quanquam in contrarium quædam afferat *Vict. Trincavell. & Joh. Thom. Minadous*, quibus addi posset, ex *Plinio, Galeno, & Rondeletio*, quòd venenatæ sangvisugæ istæ videantur: illorum tamen rationes leviores doctè retundit *CL. Sennertus l. c. de hæmorrhoid. quæst. 3.* cui ratio insuper, experientia, & diligens animalculorum istorum præparatio accedit, uti fusiùs nuper docebat *Exc. Dn. D. Schenkius, l. c.* De tempore, loco & modo applicandi Hirudines, usu item earundem diversis in morbis multi multa; præclarè hoc in affectu *Aquapend. l. c.* & ex eo *Sennertus:* nimirùm benè lotæ ac mundatæ applicandæ sunt post evacuationem, potissimùm circa sphincterem ani, eodem gossypio probè obturato, ne incautæ irrepant, & ubi sangvine saturatæ videntur, salis modico conspergendæ, ut spontè decidant. Vid. *Chirurg. Aquapend. Senn.* & aliorum. Quòd apud veteres etiam Hirudines in tali casu frequenti in usu fuerint, videre licet apud *Zacut. l. 1. de medic. Princ. hist. quæst. 4.* qui *obs. 6.* ibidem Cucurbitulas, ut eò meliùs appareat tumor, adhibendas svadet, & rem exemplo illustrat. Quòd si hirudo incuriâ chirurgi anum ingrediatur, &, quid tum agendum, ut revocetur, vid. *obs. 7.*

4. FONTICULUM hujus evacuationis defectum non sinè emolumento supplentem, & maximè in fœminis, si menstrua fuerint suppressa, commendat *Zacut. l. c. obs. 18. & lib. II. fol. 393.* exemplo adducto fidem facit *Amatus Lusit. centur. 4. obs. 56.*

Diversos curationis modos in tumentibus hæmorrhoidibus *Hippocrates, lib. de hæmorrh.* recenset, quorum aliqui 5. FERRUM *candens* quoque includunt: de singulis adhuc *Hier. Fabric. ab Aquapend.* Hodiè crudelis illa curandi ratio, uti *cap. præced.* dictum, fermè exolevit, quam nostrates vix & ne vix quidem sustinerent.

6. FRICTIONES quæ fiunt *panno aspero, folio ficûs, aut parietariæ.* & similibus, tutissimæ. Vir quidam hoc in Athenæo celeberrimus, quotiès ultra tempus subsistunt hæmorrhoides, *folio serratulæ* utilitèr aperire solet.

III. Ex PHARMACIA medicamentis sedulò prospiciendum, ut alvus sit laxior atque fluxilis; sin minus 1. ἐκκοπρωτικοῖς emollienda, usu *prunorum cum mannâ, sennâ*, herbarum item emollientium in jure pingvi decoctarum, ut *malvæ, lactucæ, borrag. betæ, brassicæ, mercurialis*; vel inde fiat Clyster.

℞. *M. P. Aloephang.* ʒß.
c. Sir. de polypod. q. s.
M. F. Pilul. no. xv.

℞. *MP. angelic. F. F.* ʒj.
c. Sir. de cich. c. rhabarb.
F. Pilul. ervi instar.
Dos. ℈ß.
S. Ordinar. Pillen.

℞. *Elect. lenitiv.*
rosat. Mes. an. ʒß.
aqv. borrag.
bugloß. an. ℥j.
Colatur. add. Mann. elect. ʒij.
D. in fictili. S. Lind-tränckliнn.

℞. *Brod. carn. vitulin.* ℔. j.
cui incoqv. fol. malv. lactuc.
vitell. ovor. no. ij.
sacch. Thomai. ℥ij.
salis ʒj.
adipis anserin. ℥j. *M. F. l. a. Enema.*
S. Clystir laulicht zu appliciren.

2. Deinde Humores impuri, plerumque suppressionis hujus causæ, evacuandi ex toto corpore: qui tamen, si tenaces & crassi fuerint, uti sæpe sunt, antè *præparari* debent, atque attenuari incidentibus, aperientibus, resolventibus.

℞. *Herbar. 5. aperient. aa. m. j.*
fol. cochlear. p. jv.
lingv. cerv. no. ij.
sem. genist. ʒj.
Coqv. in s. q. ▽ *fumar.*
Colatur. ℥*jv. add.*
Sir. de fumar.
lupul. aa. ℥j.

tinctur.

tinctur. ☿ *g. xv. M.*

*S. Digestiv-*tranck/ auf ijmahl.

℞. *Conserv. cochlear.*

fumar.

cichor.

rosar. aa. ℥ *ij.*

Condit. cortic. citr.

Electuar. de limatur. chalyb. ℥ *iij,*

c. Sir. de bugloss. s. q.

F. Electuarium.

℞. *Croci* ♂ *tis aperient. g. vj.*

⊖ *fumar.*

crem. ☿ *aa. g. iij.*

ol. fœnicul. succin. aa. g. ij.

M. S. Digestiv- pülverlein!

3. Sic præparati humores feliciùs educentur phlegmagogis & melanagogis, quæ non solùm humores noxios evacuabunt, sed & intestina irritando, & anum stimulando hunc fluxũ promovebunt, ut sunt, *Rhabarbarum, species diaturb. cum rhabarb.* quibus admisceri queunt, quæ oscula venarum aperiunt, qualia sunt *Aloë, colocynthis, δακρύδιον, resina scammonii, scammonium* ♀*ratum:* in officinis prostant huc facientes *Pilulæ*, quarũ basis rhabarbarum, aloë, *species hieræ picræ, Pilulæ sine quibus, assaiareth, marocostinæ, species elescoph* &c. A lenioribus autem ad fortiora ascendendum.

℞. *Pulv. laxativ. vegetab. g. xvj.*

polychrest. Dn. D. Rolf. g. vij.

ol. cinam. g. ij. M.

D. S. Laxir- pulver.

℞. *Scammon.* ♀*rat. g. x.*

spec. diaturb. cum rhab. ℈ *j.*

conserv. violar. ℥ *ij. M. F. Bolus.*

S. Purgir-zucker.

℞. *Balsam. aloët.* ℈ *j.*

pulv. polychrest. g. v.

cum Sir. de fumar. F. Pil. no. vij.

℞. *Gia-*

℞. *Gialap.* ℈ß.
g. g.
diagryd. aa. gr. iij.
trochisc. alband. g. j.
ol. anisi. g. ij. M. F. l. a. Pilula. S. Abendpillen.

℞. *Rad. 5. aperient.*
polypod. qv. an. ʒj.
fol. scolopendr. no. vj.
sen. elect. ℥j ß.
mechoac. ʒj.
zingiber.
zedoar. an. ℈j.
Coqv. in aqv. cichor. Colatur. ℥iv.
add. Mann. elect. ℥j.
sir. de cichor. cum rhabarb. ℥ß.
electuar. rosat. Mes. ʒj.
M. F. Haustus. *S.* Purgier-Tranck.

Decocta lignor. rad. sarsæparill. it. *cicerum rubror.* sangvini motum aliquem conciliare creduntur, quorum descriptiones passim extant.

IV. *Provocantia hæmorrhoidum fluxum* interdum *per os* exhiberi solent, eaque possunt esse, quæ aliàs pro mensibus ciendis propinantur, quorum copiam hic inserere supervacaneum, cùm *Topica* his majorem hodiè usum obtinere videantur. Paratu facilè tamen est, quod cum *Hartm.* proponit *Exc. D. Agricola.*

℞ *Extr. aloës,* ℈j.
Tinct. corallor. g. X.
M. Detur per triduum, aut quatriduum.

V. Ad EXTERNA itaque transeamus, quæ ῥεῦμα istud promovere apta nata sunt.

Simplicia ex *Vegetabilibus* petita potissima sunt, *caparum succus* cum aloë mistus, quo si pannus illinatur, eoque pars affecta fricetur, aperire potenter tradit *Hartmann. prax. Chimiat. p. m. 124.* Ab *Aëtio* & *Ægineta* commendatur *cyclamen, belxine,*

anagallis mas, centaurium minus, rad. ireos, mercurialis, scrophularia, quæ, ceu appropriata hæmorrhoidibus, easdem movere & sistere dicitur; *galeopsis* sive urtica mortua, cujus solo succo pro specifico utuntur *Schenckius in observ. & Paræus in chirurg.* Ex *Animalibus* laudatur *fel porci, bovis, stercus columbinum, caninum* apud *Aët. cancri fluviatiles* in oleo olivarum ad mellis consistentiam cocti. Ex *Mineralibus*, *alumen* loco suppositorii usurpatum solùm, sæpius hunc fluxum concitasse affirmat *Petræus*. *Aquâ Mercurii,* (cujus præparationem exhibet *D. D. Agricola, Chir. Tr. 2. p. 139.*), & ♀*ris* utitur *Thurnheuserus*, alii ex chimicis ⊖*lo albo*, & ⊕*ro*. Atque hæc & similia, quæ omnia recensere hujus loci, præsentisque temporis angustia haud permittit, fusiùs autem apud *Galenum 9. de compos. medicam. sec. loca, c. 2.* & alibi, inveniuntur, vel sola exterius illinendo adhibentur, vel variis in formis compositis applicantur; hac tamen cum cautione sedulâ, ne fortioribus intempestivè applicitis inflammatio excitetur. Sic

1. *Ungventum* tale *Weckerus* commendat:

℞. *Ol. matricar.* ℥ß.
lardi ℥j.
sterc. columb. ʒiij.
salis ʒij.
M. F. Ungventum.

℞. *Succi porri*
cæpar. rubrar. an. ℥j.
fell. bubuli ʒvj.
rad. cyclam. ʒj.
pulp. colocynth.
euphorb. an. ℈ß.
cum mell. s. q. F. Linimentum.
S. Braun-Sälblein.

Joh. Crato à Krafftheim/trium Imperatorum Medicus, sequenti usus est remedio: Cæpa excavetur, impleatur oleo amygdalar. amar. tegaturque rursum suo operculo; sub cineribus assetur, succus exprimatur, anoque illinatur. *Paræus, chirurg. lib. 21.*

cap.38. bulbos sub cinere coctos cum theriacâ, & ol. rutæ vel rosar. ad formam ungventi redigit.

2. *Emplastra* fiunt ex *farinâ lupinorum, felle bovis, stercore columbino,* & simil.

℞. *Staphid. agr.* ℥j.
farin. lupinor. ℥ij.
fell. bovis ℈iß.
stercor. columb. ℥j.
c. *Ceræ s. q. redigatur in formam Emplastri.*
S. Pflasterunten auffzulegen.

In Topicorum hujusmodi applicatione notandum, si cum tumore Dolor simul adsit vehemens, semper aliquid opii, similiumve anodynorum adjiciendum esse.

℞. *Empl. diachyl. simpl.* ℥ij.
croci ℈j.
opii gr. iij. F. Ungventum.

3. *Suppositoriorum* forma latentibus hæmorrhoidibus admodùm conveniens quoque videtur, nisi nimium intumuerint, aut retineri nequeant.

℞. *Mellis crudi* ℥j. *coqv. ad crassit.*
add. inter coquend. aloës opt. ʒj.
myrrh. ℈j.
F. l. a. Suppositorium. *S.* Stul-zäpfflin.

4. *Injectiones* quoque & Clysteres fieri queunt ex decocto herbarum emollientium & incidentium.

℞. *Herbar. calaminth.*
origani,
puleg.
centaur. min.
absinth. an. m. j.
rad. cyclamin.
pulp. colocynth. in petiâ ligat. ʒiij.
Coqv. in s. q. aqv. font.
℞. *Colatur.* ℔j ß. *in quâ dissolv.*
Electuar. hier. picr. ℥j.

sal.

Sal. fossil. ℥j.
add. ol. rut. ℈ß.
M. F. Clysma.

5. *Insessus* & *Balnea* tàm naturalia quàm artificialia conducunt, si iis opus esse videatur. *Hier. Fabric. ab Aquapend.* tumentes se curare ait insessione in aquis thermalibus: spongiam quoque iis immersam atque expressam ano applicat; vel super aquam calcis expressam sedi alligat.

VI. Si verò nunquam fluxerint Hæmorrhoides, neque spes sit eas esse fluxuras, nihilominus tumeant, & ob id doleant, EXSICCATIO earundem suscipienda, per digerentia & siccantia, interna vel externa. *Interius* eum in scopum assumuntur, *decoct. ononidis* secundùm *Dioscoridem*, *Verbasci* pulvis cum lacte alióve liquore, pulvis item *millefolii* vel *tormentillæ*, succus *thapsi barbati* cum saccharo rosaceo mixtus. *Pilulas de bdellio* frequentèr usurpatas easdem insensibilitèr distrahere, testatur *River. sub fin. lib. X. prax.* *Exteriùs* adhiberi queunt *fotus, insessus, ungventa, cataplasmata*, facta *ex acaciâ, bolo arm. ligno gvajaco, sulphure, alumine, verbasco, scrophulariâ*, aliisque specificis suprà laudatis: de quibus pleniùs *Fel. Platerus, Prax. tom. II.* cumque eo *D. Sennertus, lib. III. pract.* Si æger super asserem, ex ligno *pini* plano factum, & pingvedine aliquâ vel oleo inunctum sedeat, hæmorrhoides eo exsiccari quidam statuunt.

VII. *Si* verò non in totum supprimantur Hæmorrhoides, sed saltim *imperfectè fluant*, eadem conveniunt auxilia, nisi quòd *Externa* leniora esse debeant, facto *insessu* ex decocto dictarum plantar. vel *vapore* ex iisdem suscepto. *Vinum* generosum, & *aloëtica* exhibeantur.

CAP. X. & ULTIMUM.

De

CURATIONE DOLORIS HÆMORRHOIDUM.

I. SUperest, ut de frequentissimo Hæmorrhoidum Symptomate, quod tumentibus inprimis & *cæcis* accidere solet,

DOLORE nimirum, paucis agamus, *Causæ* hujus *suprà sub fin. cap.4.* fuere breviter adductæ. *Signis* opus non habere videtur, cum se velut sorex ipsemet spontè prodat. Tanta autem ejus interdum est vehementia, ut ipse solus *Curationem* ad sese trahat, qui nisi tempestivè mitigetur, vires omnes exhaurit, sic ut impares sint ferendis medicamentis, quæ pro apertione hæmorrhoidum propinari possent, ut causa ejus tollatur. Huic ergò sub finem discursûs hujus quoque opus est invigilemus. *Dolor* quidem per se παρηγορικὰ & ἀνώδυνα *indicat*, quibus necessariò interdum accedant stupefacientia & ναρκωτικά.

II. *Anodyna* ex *Simplicioribus* sunt, quæ dolorem mitigant, svavemque sensum excitant, etsi causa nondum omninò sit sublata: suntque; *Malva, fænum græc. althæa, melilotus, sem. lini, furfures* sacculo inclusi cum lacte cocti, locoque dolenti applicati. In specie à signaturâ quasi apud *Crollium* commendantur *plantæ villosæ*, quarum multas vulgaris approbat experientia, ut *fol. verbasci, oculi populi arb pes leporinus dictus, Scrophularia, chelidon. & arum minus*, quarum singularum virtutes prolixius diductas vid. apud *eundem, lib. de signaturis rerum internis. pag. m. 32. In Scrophulariâ* peculiarem vim ad hosce dolores mitigandas expertus est *Henricus ab Heer, qui observ. 20.* ait: *Si quis hæmorrhoidum cæcarum insano dolore torqueatur, minimum quid scrophulariæ vel radicis, vel foliorum cum cibo aut potu capiendo, statim dolore liberatur, sive ipsum plantæ substantiam siccam, aut viridem, sive decoctum ejus assumat.*

Scarabæos idem *Crollius* commendat, qui in equorum excrementis latitant, si in cinerem redacti hæmorrhoidibus inspergantur; alii cum oleo lini coquunt, & cum bombace loco dolenti applicant. *Millepedes* sive aselli in oleo nucum cocti, sedique inuncti in secretis fuêre *Quercetano*. *Lac caprillum* vesicæ inclusum vim suam paregoricam satis exerit. *Butyrum* solum in mortario plumbeo ductum ad solem donec nigrescat, egregium est remedium. *River. in prax.*

Petr. Joh. Faber, universal. sapient. lib. 3. de morb. ani, fol. 307. a. commendat *oleum ☿ii, & ol. ♂is dulce. Exc. Agricola l. c. colcothar. ⊖li.*

II. Alia

II. Alia *composita atque praeparata* à variis varia laudantur; v. g. *Aqu. tussilag. sambuci, solani, scrophular. cynogloss. Oleum rosar. violar. fl. sambuei, plantag. nymph. amygdal. dulc. buxi*, quòd mirificè extollit *Riverius*, ſicut *ol. nucum Quercetanus*, aliique *ovorum & nucleorum perſicor. olea. Unguentum roſat. pomatum, populn. alabaſtrin. de cynogloſſ. ad hæmorrhoides Auguſtanor., fol. m. 345. Noribergenſium, diſpenſ. f. 227. balſ. ♀ris Ruland.* &c.

Linimenta ex dictis atque ſimilibus confieri queunt:

℞. *Pingued. gallin.* ℥ ß.
pulp. pomor. dulc. ſub cinerib. coct. ℥ j.
croci orient. ℥ ß.
unguent. populn. ℥ ß.
vitell. ovi no. j. *M.*

F. Linimentum, quo locus affectus ſæpius inungatur.
S. Schmertzſtillendes Sälblinn.

Crato Conſil. 208. tale commendat:

℞. *Tragacanth.* ℥ j.
ducatur cum ▽ fragar. in mortario plumbeo,
add. Lap. calaminar. triti & loti ℥ ß.
M. F. Unguentum.

Hercul. Saxonia iſto ſe feliciter ſæpius uſum eſſe teſtatur:

℞. *Mucilag. ſem. pſyll. cydon. aa.* ℥ j.
ol. roſar. complet. ℥ ij.
pingu. gallin. ℥ ß.
vitell. ovor. no. ij.
injiciantur mortario plumbeo, plumbeoq; piſtillo agitentur per 3. horas ſub ſole.
F. Linimentum.

In quorum pinguium applicatione illud obſervandum, ne ſinè diſcrimine loco dolenti adhibeantur, parùm penſitatâ causâ doloris: verùm, ex conſilio *Fabric. ab Aquap.* locus, ſi nimium doleat, priùs inſpiciendus, (miram profectò Medici pro ſalute ægrorum ſuorum excubantis fidelitatem, qui ductus amore ſalutis humanæ, etiam fæda adſpicere haud veretur!) ſitne ſimul gangræna correptus? velut ſubinde contigit, &, ex-

empla ducto à fœminarum ſecretis aliquando caſtis oculis ul-trò contemplandis, deſperati cujusdam refert hiſtoriam, qui niſi conſpectus eſſet locus, omninò ſphacelo correptus fuiſſet.

Fomenta & *Fotus* fiant ex fol. & floribus Verbaſci, aliisque. Ad *Balanum* ex ſevo hircino cum opio confectum in Romanâ quadam confugit *Amatus Luſitanus, cent. 2. curat. 91.* quo dolor evanuit, cæteris nihil juvantibus.

Experimenta ſingularia nemo eſt, qui non crepet. De *rad. Scrophulariæ* modò dictum. Alii *bonum Henricum* ita nuncupatum cum butyro & lactis cremore lento igne coqvunt, expreſſumque ſuccum cum inſigni levamine adhibent. Non defraudanda laude ſuâ *Linaria herba*, de qua nota circumfertur hiſtoria, eam nimirum tanti factam fuiſſe à *Joh. Wolfio*, celebri Haſſiæ Medico, ut eam *Ludovico Sen. Haſſiæ Landgravio* quamvis ſæpiùs rogatus, revelare nollet, antequam ipſi annuatim bovem benè ſaginatum promitteret; quâ promisſione factâ, non tantùm *herbam linariam* Illuſtrisſimo Principi oſtendit, ſed & addendo verſiculum quendam, differentiam ejus ab *eſulâ* perſimili patefecit, quòd ſc.

Eſula lacteſcat, ſine lacte Linaria creſcat:

quod ubi *Nob. Joh. Rideſelius*, Mareſchallus Haſſiæ aſſidens perciperet, per jocum verſum invertit:

Eſula nil nobis, ſed dat Linaria taurum;

prout hiſtoriam fidelitèr ex ore D. Wolfii refert *B. Horſtius, lib. IV. obſerv. 50. fol. m. 242.* eoque linimento, facto ex dictâ plantâ contusâ, cum adipe ſuillo cocta, additoque ovi albumine, applicato, ad miraculum ſeſe dolores ani acerbisſimos in honeſtâ matronâ leniiſſe conteſtatur *ibid.*

Ulyſſes Aldrovandus, & *Caſtor Durantes in hortul. ſanit.* magni quoque faciunt *herbam* inde *hæmorrhoidalem* dictam, quæ ſpecies eſſe cenſetur polygoni, eâque tactæ hæmorrhoides dolentes melius habere perhibentur; imò ſi circa femur per diem geſtata fumo ſuſpendatur, hæmorrhoides ſimul cũ herba ſcribunt corrugari, omnemque dolorem evaneſcere.

V. Quòd ſi hiſce omnibus minimè obtemperet dolor,

adeò

adeò ut metus instet lapsûs insignis virium, in usum trahendum est *laudatum Opii medicamentum*, quacunque formâ exhibere aut occultare placuerit.

℞. *Magister. anodyn. Dn. D. Rolf. g. iij.*
D. in aq. lil. convall.
S. Nacht-pülverlein.

VI. Quibus ritè peractis, si Vires nimium exhaustas videamus, earum restitutioni simul invigilabimus, Viscerumque robori sedulò studebimus: quâ de re in præcedentibus actum. *Symptomatum* simul reliquorum concurrentium, v. g. *inflammationis, condylomatum, exulcerationis, gangrænæ, &c.* curatio ex propriis locis deprometur.

VII. DIÆTA restat subjicienda, quænam ejus ratio *in cæcis, dolentibus, atq; suppressis* servanda sit *Hæmorrhoidibus*: hæc nimirùm contraria priori, Artis regulis examussim quoque gubernetur. Ante omnia vitentur cuncta, quæ suprà inter causas relata fuêre. AER nonnihil ad caliditatem vergat, pro motu sangvini communicando. CIBI sint acres, piperati, aromatibusque conditi. *Crato* svadebat usum butyri novi cum pane recenti calente (warm eingeröhrte Semmel)/ *fraga* quoque comesta laudabat, quotiès haberi queunt; ut & *Vina* potentia. MOTUS & exercitiū corporis, juxta *Hippocr. de rat. vict. in acut.* & *Celsum*, instituatur. *Affectus* animi rationis subsint moderamini, gaudium spiritus mirificè recreat, sangvinemque propellit. *Alvus* quotidiè voto respondeat, sin minus, medicamentis suprà dictis sui admoneatur officii: cæteraque, si qua sunt prætermissa, omninò justo talo subsistant.

Atq; hisce receptui canimus, immortali Numini gratias acturi perennes, pro ineffabili hactenùs in cursu studiorum nostrorum suppeditatâ gratiâ; idem supplices venerati, ut & per reliqvum Vitæ nostræ curriculum ipsius Honori,

ægro-

ægrorumq; Saluti destinatum, pari clementiâ atque benedictione perpetuò nobis adsit, quò de morborũ inimicis insultibus triumphantes subinde nova ἐπινίκια decantare valeamus. Lector autem benevolus pauca ista, in magnâ temporis penuariâ, veloci calamo luci publicæ exposita, candido animo accipiat atq; interpretetur. Equidem sortis meæ haud ignarus de bonis optima spero, malorum invidiam minimè curo; nam

Decem Talenta cæteris,
sed una contigit mihi,
& est sat illa, drachmula:
Dator supremo fac Tibi
sit illa Drachma fœnori!

FINIS.

ROLLI, divinæ prænobile germen Hygeiæ,
dum ſatagis mentis chartis includere ſenſa;
oſtendisque viam, quâ vita ſalusque tuenda
ne litem moveat pudibunda hæmorrhois ægris,
aurea fæcundo de pectore flumina fundis.
Doctorum fæcunda parens SALANA virorum
applaudit, nova ſerta parans, condigna laborum
præmia. Macte iſtis. Reppulſæ neſcia virtus
vepretis ſuperatis te per amabile templum

tra-

tramite jucundo deducet HONORIS in ædem.

His benevolum affectum contestari,
& benè ominari vult

Gvernerus Rolfinck, D.

S*At se commendat tua dissertatio,* Rolli,
docta satis: nostro non opus elogio.
Sedulus audisti medica fundamina legis
intensi Phœbi nobile delitium.
Hincce brabëa feres sat dignus, teq; beabit
ter felix praxis non renuente Deo.

εὐχαίρων adjecit
PRÆSES.